Parcis mors inopina rapit. Illi dum vivunt, properant ad pessima semper. Ast iis mors finem contulit ipsa mali. Herodotus hos Trausos vocat lib. 5. *Trausi*, inquit, *in cæteris quidem omnibus idem, quod Thraces: verum circa natalitia suorum atq; obitus hoc factitant. Edito puero propinqui eum circumsidentes cum ploratione prosequuntur, ob ea mala, quæ necesse est illi, quod vitam ingressus sit, perpeti, humanas omnes calamitates recensentes. Hominem autem fato functum per lusum atq; lætitiam terræ demandant.* Videri potest & Valerius Maximus lib. 2. c. 6. De Causianis porrò idem memorat Stobæus serm. 121. de laude mortis: *Causiani*, ait, *nascentes lugent: mortuos autem beatos reputant.* Sed & de Cæsiis Zenobius centur. V. adag. 25. *Cæsiæ recens natos lacrymis, defunctos gaudio prosequuntur*, nisi forte ubi legendum sit καυσιανοί, ceu in Vaticano Codice legi observat Andreas Schottus in Scholiis, ut iidem sint cum Causianis. His adstipulatus fuit & Euripides, qui in Ctesiphonte Interprete Cicerone lib. 1. Tuscul. Qq. circa finem: *Nam nos decebat cœtus celebrantes domum lugere, ubi esset aliquis in lucem editus, Humanæ vitæ varia reputantes mala: At qui labores morte finisset graveis, Omneis amicos laude, & lætitià exequi.* Denique & Brachmanes Indorum Gymnosophistas ejusdem fuisse sententiæ refert Strabo lib. 15 Geographiæ his verbis: *Brachmanes mortem vitam hanc habendam esse putant, quasi recens conceptorum hominum statum. Mortem verò pactum in veram illam & felicem vitam iis, qui rectè philosophati sint.*

(b) LXX. ut hoc clarius exprimerent, verba Prophetæ ita transtulerunt: Σὺ εἶ Θεὸς, καὶ οὐκ ᾔδειμεν, ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραὴλ, σωτὴρ, *Tu es Deus. & nesciebamus, Deus Israël, Servator.* Quam tralationem passim sequuntur & veteres Ecclesiæ Catholicæ Doctores. Sic enim verba Prophetæ recenset Tertullianus lib. contra Praxeam c. 13. *Inde & Esaias ad personam Christi, Te adorabunt, quia in te Deus est. Tu enim es Deus noster & nesciebamus, Deus Israëlis. Et hic enim dicendo, Deus in Te, & tu Deus, duos proponit qui erant in Christum & Spiritum.* Ita & Cyprianus lib. 3. adversus Judæos num. 6. Synodus Antiochena & Athanasius Dial. 3. de Trinit. citati à nobis jam in Notis ad Concion. de fasciis Christi. Quibus hic & alios addere possumus, quos illic angustia paginæ non capiebat. Sic enim Hilarius Pictaviensis lib. 5. de Trinit. in fine: *Confirmat autem fidei nostræ veram & salutarem professionem idem atq; unus in plurimis Spiritus prophetiæ, per successionem & intervalla temporum non demutatæ religiosæ doctrinæ prædicationem. Ut enim per Moysen ex persona unigeniti Dei dicta plenior ad intelligendum confirmarentur profecta, rursum signus Dei Patris ex persona virorum excelsorum idem prophetiæ Spiritus per Esaiam loquitur: Quoniam in te est Deus. & non est Deus præter te, & nesciebamus, Deus Israel Salvator. — Nam in eo, quod ait: In te est Deus naturæ Dei Patris, in Deo Filio docuit veritatem, cum in eo Deus intelligeretur esse, qui Deus est. In eo verò, quod subjecit: Et præter te non est Deus, ostendit præter eum Deum non esse, quia in se Dei Deus inesset. Hoc verò quod tertium est, Tu es Deus, & nesciebamus, humanæ intelligentiæ piam & fidelem testatur professionem, quæ cognitis nativitatis mysteriis & nomine ad Joseph per Angelum nunciato confiteretur; Tu enim es Deus, & nesciebamus, Deus Israel Salvator.* Epiphanius hæres. 57. quæ est Noetianorum n. 2. *Ex his, Quoniam in te Deus est, & non est Deus præter te, Tu enim es Deus, & nesciebamus Deus Israel Salvator,*

vides,

vides, opinor, in Scripturis unum indicari Deum & manifeste prædicari, adeoq; in confesso est unum illum esse, ac semper existere. Ob idq; non plures Deos affirmamus, sed unum duntaxat Deum, qui & pati nihil possit & idem Filii Pater sit, & Filius, qui ideò passus est, ut nos suâ perpessione servaret, nec alium ab eo pronunciare possimus. Idem repetit & num. 6. Ambrosius lib. 1. de fide c. 2. *Quantum Scriptura divina Patris & Filii secundum divinitatem expresserit unitatem, Prophetica testantur oracula. Sic enim dicit Dominus Sabaoth: — Adorabunt te, & in te deprecabuntur, quoniam in Te est Deus, & non est Deus præter te. Tu enim es Deus, & nesciebamus Deus Israel. Audi Propheticam vocem! In te, inquit, est Deus, & non est Deus præter te. — In te est Deus, quoniam in Filio Pater, sicut scriptum est: Pater, qui in me manet, ipse loquitur.* Et Tract. in Symbolum Apostolicum c. 9 *Est Filius revera verbum Patris, cum vacuum reversum non fuerit, quia obsides salutis nostræ, id est, veram animam & verum corpus susceptum in cœlestibus ad dexteram collocavit Patris. Quod ita futurum fore in Spiritu Propheta innuens dicit: Tu enim es Deus, & nescivimus, Deus Israel Salvator, nescivimus, quia carne velati.* Et iterum: *Non est species ei, neq; gloria: & facies ejus despecta est, & non est reputata, ut scilicet humano corpore divina potentia celaretur.* Hilarius Diaconus Romanus, vel, quicunque Auctor est Comm. in Epist. ad Roman apud Ambrosium: *Sacrilegus es, quando Christum, quem lex & Propheticus sermo Deum significant, negas. Dicit enim Esaias: Quia in Te est Deus, & non est Deus præter te. Tu es enim Deus, & nesciebamus, Deus Israel Salvator. Numquid Judæi de Deo Patre dicebant, Tu enim es Deus, & nesciebamus, cum tota lex Dei Patris auctoritatem prædicet, ex quo sunt omnia? Sed quia Filius Dei semper quidem apparuit, latebat autem quis esset, cum post resurrectionem cognoscitur, dicitur ei in confessione: Tu enim es Deus, & nesciebamus. Et qui putabatur in lege tantùm angelus & Dux exercitus Domini, quum intelligitur filius esse Dei, dicitur ei cum gratiarum actione: Tu enim es Deus, & nesciebamus. Per hoc ergò significat, quia ipse est, qui apparuerat quidem Patriarchis, & post incarnatus est, sed non fuerat intellectus ab hominibus.*

(c) Erat Vetus Testamentum σκιὰ futurorum bonorum Hebr. 10, 1. hoc est, *rudis aliqua delineatio.* Hoc enim sensu vox ista interdum gaudet, quod observat etiam Hesychius scribens: Σκιὰ, σκίασμα, ἐπιφάνεια τοῦ χρώματος ἀμόρφωτος, *Σκιὰ idem est, quod adumbratio, apparentia coloris informis.* Inde in exponendis Veteris Testamenti scriptis non ad literalem solùm sensum respiciendum est, qui alterius delineatio est; sed & ad alterum, qui eo adumbratur. Ex quo fit, ut quod de *agno Paschali* Exod. 12, 46. dictum est, *Non comminuetis ei os,* de Christo, cujus agnus ille typus fuit, exponatur Joh. 19, 36. Item, quod de *serpente æneo* in deserto à Mose erecto occurrit Num. 21, 8. ipse Servator mysticè de se interpretatur Johan. 3, 14. Porrò quod de *Jona à ceto absorpto & tertiâ die terræ reddito* Jon. 2, 1. & 11. memoratur, ipse rursum Servator se tertiâ die à mortuis resuscitandum esse docet significasse Matth. 12, 40. De *duobus filiis Abrahæ* autem, Isaaco & Ismaele, quorum ille hæres constitutus, hic cum matre, ancillâ, ejectus Gen. 21, 10. Apostolus testatur, quod duo illi testamenta significarint Gal. 4, 30. Inde ergo nascitur duplex Scripturæ Vet. Test. sensus, qui utut non in omnibus, in quamplurimis tamen obtineat locis, literalis scilicet & mysticus, quos ipsi etiam

doctiores Judæi agnoſcunt. Sic enim Joſephus lib. 3. Antiquit. Judaicarum cap. 8. poſtquam varias Sacerdotalis ornatus ſignificationes enarraſſet: *Atq; hæc*, inquit, *in hunc modum interpretati ſumus per occaſionem, ne latentem in his legislatoris ſapientiam ultrò diſſimulare videremur.* Sed Philo Judæus deſcribens Eſſæos ſuos inter alia & hoc indicat, quomodo illi Scripturam legerint & & fuerint interpretati, idque his verbis: *Verſantes ſacra volumina dant operam Philoſophiæ per manus acceptæ à majoribus. ſcrutando ejus allegorias, quoniam ſub apertis verbis latere credunt ſecreta naturæ conjecturis explicanda probabilibus. Habent enim priſcorum commentarios, quia hujus ſectæ auctores multa monumenta reliquerunt de allegoriis ejusmodi, ad quorum imitationem poſteri ſe accommodant.* Et poſtea: *Enarrationes ſacrarum literarum apud eos conſtant ex allegoriis. Nam hi viri totam legem exiſtimant habere animalis ſimilitudinem, quod præcepta corpus referant, animam verò ſententiæ retruſiores ſub velamine verborum abditæ, in quibus rationalis anima egregie ſeipſam contemplatur tanquam in ſpeculo, ſub his ipſis verbis miram ſententiarum pulchritudinem conſpiciens & explicans è figurarum involucris, atq; ita penitiorem intellectum in lucem producens, duntaxat apud eos, qui per occaſionem admoniti ſciunt obſcura ex apertis colligere.* Hæc ille lib. de vitâ contemplativâ, & apud Euſebium lib. 2. Hiſt. Eccl. c. 16. Non diſplicuiſſe autem ei hanc interpretandæ Scripturæ ſacræ rationem ſatis vel ex eo apparet, quod eam paſſim ipſemet ſequatur. Ex quo & Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum Manichæum c. 39. *Itaq; etiam ipſi Judæi, qui Chriſtum, cujus paſſionem nos agnovimus, deridentes, nolunt talibus rerum, non tantùm dictarum, ſed etiam geſtarum figuris prænunciatum videri, coguntur à nobis diſcere, quid illa ſignificent, quæ nobis aliquid ſignificare concedunt: tamen divinæ autoritatis libros ab ineptarum fabularum ignominiâ non defendunt. Vidit hoc Philo quidam, vir liberaliter eruditiſſimus, unus eorum, cujus eloquium Græci Platoni æquare non dubitant: & conatus eſt aliqua interpretari, non ad Chriſtum intelligendum, in quem non crediderat, ſed ut inde magis appareret, quantum interſit, utrum ad Chriſtum referens omnia, propter quem verè ſic dicta ſunt, an præter illum quaslibet conjecturas quolibet mentis acumine perſequaris.* Scilicet agnoverunt Judæi, quod myſtici omninò in Prophetarum ſcriptis continerentur ſenſus, quod etiam libri illorum Caballiſtici & allegorici ſatis confirmant, ſed quinam illi eſſent, cognoſcere non potuerunt, quod fide in Chriſtum, qui ſcopus eſt univerſæ Scripturæ deſtituerentur. Ex quo & ſenſus illos, quos Chriſtus & Apoſtoli, Spiritu ejus colluſtrati, detexerunt, & olim rejecerunt & adhuc hodie rejiciunt, utpote habentes impoſitum velamen illud, quod in Chriſto evaneſcit 2. Cor. 3, 14. Atque hactenus ſenſus Scripturæ Propheticæ myſticos rejicere Judaiſmum ſapit, ſicut obſervat & Hieronymus à ſanctæ fide, converſus ex Judæo Chriſtianus lib. 1. contra Judæos c. 1. Quanquam & Pagani Chriſtianos eo nomine reprehenderint, quod præter ſenſum literalem etiam alios ſenſus ſcriptis Prophetarum tribuerent, veluti Celſus apud Origenem lib. 2. contra Celſum, nec non Porphyrius apud Euſebium lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 13. (19.) Sed & hæreticis aliquibus iſti ſenſus, quos myſticos vocamus, inveniuntur haud fuiſſe ad palatum, veluti Marcioni & aſſeclis ejus, de quibus videri poſſunt Epiphanius hæreſ. 42. num. 4. & Damaſcenus lib. de hæreſibus. Item Manichæis, de quibus iterum Epiphanius conſulendus eſt, hæreſ. 66. num. 70, & 75. Non mirum autem eſt eos ſenſus iſtos reſpuiſſe, quod *Deum legis*

antiquæ

antiquæ per multa Scripturarum capitula malum conarentur adserere, quasi alius esset Deus novi Testamenti, quàm qui ex lege prænuntiatus advenit, teste etiam Gaudentio Brixiensi Tract.7. de Exodo. Atque hinc & Moses Bar-cepha Syrus in Comment. de Paradiso Parte I. cap.3. Tom.I. Bibl.PP. *Sunt*, inquit, *inter hæreticos, qui contendunt, minime convenire, ut Veteris Testamenti scripta mystice, atq; aliter, quàm de rebus ipsis interpretentur, graviterq; accusant eos, qui contra faciunt: atqui si ita statuas, multa ut consequantur absurda, necessum est. Primò enim vetus Testamentum nihil nisi meras multasq; continebit historias, carebitq; prorsus mysticis sancti Spiritus sensis. Deinde obfirmabitur Manetis & Marcionis sententia, qui dicebant, Vetus Testamentum nequaquam ab auctore Dei Christi Patre esse. ---Deniq; si ita cum illis hæreticis sentimus, profectò in Judaismum incidimus: quippe Judæi, ut qui Spiritus sancti expertes sunt, alia quàm corporalia crassaq; sensa nulla amplectuntur.*

(d) Vulgati Latini versio ita habet: Domine, opus tuum, IN MEDIO ANNORUM *vivifica illud.* IN MEDIO ANNORUM *notum facies.* Chaldæi verba paulo post afferentur. Syrus autem ita locum hunc convertit: *Opera tua patescent* IN MEDIO ANNORUM *vitæ*, IN MEDIO ANNORUM *innotesces.* Porrò Aquila ita transtulit: Ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη, ζώωσον αὐτὸν, *in appropinquando annos, vivifica ipsum.* Theodotio autem: Ἐν μέσῳ ἐτῶν ζώωσον αὐτὸν, *in medio annorum vivifica ipsum.* Denique Symmachus: Ἐντὸς τῶν ἐνιαυτῶν ἀναζώωσον αὐτὸν, *intra annos vivifica ipsum.*

(e) *Quod est inter duos terminos, dicitur hic in medio, licet plus satis distat ab uno termino, quàm ab alio*, ait Nicol. de Lyra in Comm. ad Habac.3.

(f) Hieronymus in Comm. *Cum venerit tempus & opere promissa compleveris, monstrabis vera esse, quæ pollicitus es.*

(g) Evilmerodach fuisse Nabuchodonosoris vel Nebucadnezaris filium testatur Berosus lib. 3. Historiæ Chaldaicæ apud Josephum lib. 1. contra Apionem circa medium, item Alexander Polyhistor & Alphæus ex Megastene, quos laudat Eusebius lib.9. Præpar. Evangel. c.4. Sed & confirmat idem Josephus lib.10. Antiquit. Judaicarum c.12, (13.) item Hieronymus & Theodoretus in Danielis quintum, Severus Sulpitius lib.2. Histor. sacræ c.8. Beda lib. de sex ætatibus mundi sub anno ejus 3389. aliiq; quamplures.

(h) Verba Josephi sunt: *Post Nabuchodonosori obitum Abilamarodachus ejus filius regnum sucepit, qui mox Hierosolymorum regem Jechoniam è vinculis dimisit, & inter necessarios amicos habuit, multis muneribus donatum, & apud Babylonem regiæ suæ præfectum.*

(i) In Massechet Abodazara cap. quod incipit Liphne Edchen, hæc habentur de numero annorum mundi verba: *Tradidit domus Eliæ: Sex millia annorum durabit mundus: duo millia vanitas, vel vacuum: duo millia lex: & duo millia dies Messiæ.* Et R. Abrabanel sect. Bereschit: *Dierum creationis mundi is fuit numerus ad testandum & significandum duraturum mundum sex mille annos. Dies enim Dei benedicti, mille anni. Die autem septimo erit cessatio, & sabbatissimus.* Barnabas in Epist. Catholicâ. num. 11. *Attendite, filii, quid dicit* (Moses Genes.2,1.) *Consumavit in sex dies. Hoc dicit, quia consummavit Deus omnia in sex millia annorum. Dies enim apud illum mille anni sunt. Ipse mihi testis est, dicens:*

Ecce hodiernus dies erit tanquam mille anni. Unde scire debetis, quia in sex millia annorum consummabantur omnia. Pariter & Justinus, aut quicunque Auctor est Quæst. ad Orthodoxos quæst. 71. *Ex multis Scripturæ locis conjicere licet, veros esse, qui dicunt, sex mille annorum esse præsentis mundi status tempora.* Irenæus lib. 5. adversus hæres. c. 28. *Quotquot diebus hic factus est mundus, tot & millenis annis consummetur. Et propter hoc ait Scriptura Geneseos: Et consummata sunt cœlum & terra, & omnis ornatus eorum. Et consummavit Deus in sexto omnia opera sua, quæ fecit, & requievit in die septimo ab omnibus operibus suis, quæ fecit. Hoc autem est & ante factorum narratio, quemadmodum facta sunt, & futurorum Prophetia est. Si enim dies Domini quasi mille anni: in sex autem diebus consummata sunt, quæ facta sunt: manifestum est, quoniam consummatio ipsorum sextus millesimus annus est.* Lactantius lib. 7 Instit. c. 14. *Sciant Philosophi, qui ab exordio mundi seculorum millia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum. Quo numero expleto consummationem fieri necesse est, & humanarum rerum statum in melius reformari. --- Sex enim diebus cuncta Dei opera perfecta sunt; per secula itaq; sex, id est, annorum sex millia manere in hoc statu mundum necesse est. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, sicut indicat Propheta, qui dicit: Ante oculos tuos Domine mille anni, tanquam dies unus.* Hilarius Pictaviensis in cap. 17. Matthæi: *Post dies, sex gloriæ Dominicæ habitus ostenditur; sex millium scilicet annorum temporibus evolutis regni cœlestis honor præfiguratur.* Hieronymus in Epistolari expositione Psalmi 89. ad Cyprianum ad istum Psalmi locum v. 4. *Quoniam mille anni in oculis tuis, sicut dies hesterna: Ego arbitror ex hoc loco, & ex Epistola, quæ nomine Petri inscribitur, mille annos pro unà die solitos appellari, ut scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus est, sex millibus tantùm annorum credatur subsistere, & postea venire septenarium numerum & octonarium, in quo verus sabbatismus & circumcisionis puritas redditur.* Et in cap. 4. Michææ: *In consummatione seculorum in reprobationem peccati, per hostiam suam Salvator noster apparuit, & undecimâ horâ ad conducendos operarios venit. Et completâ illius passione Joannes loquitur: Novissima hora est. In sex millibus enim annis, si quingenti anni per horas diei singulas dividantur, novissima hora consequenter dicetur tempus fidei gentium.* Gaudentius Brixiensis Tractatu 10. qui est de Exodi lectione: *Quod primum diem Dominicum diem nuncupamus sanctum, credentes eum sanctificatum resurrectione Domini JESU, exspectamus etiam illum verè sanctum diem, septimi millesimi anni diem, qui adveniet & post istos sex dies sex millium, videlicet annorum seculi, quibus completis requies erit verè sanctis & fideliter credentibus in resurrectione Christi.* Augustinus lib. 20. de civitate Dei c. 7. *Mille anni duobus modis possunt, quantum mihi occurrit, intelligi: aut quia in ultimis annis mille ista res agitur, id est, sexto annorum milliario, tanquam sexto die, cujus nunc spatia posteriora volvuntur, secuturo deinde Sabbato, quod non habet vesperam, requiem scilicet sanctorum, quæ non habet finem, ut hujus milliarii tanquam diei novissimam partem, quâ remanebit usq; ad terminum seculi, mille annos appellaverit, eo loquendi modo, quo pars significatur à toto: aut certè mille annos pro annis omnibus hujus seculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo.* Q. Julius Hilarion lib. de mundi duratione Tom. VII. Bibl. PP. *Sicut populo Judaico dictum: sex dies operare opera mundi, septimo autem die, quâ*

qui appellatus est sabbatum, requiesce operibus tuis: sic sanctis omnibus qui sunt ab initio mundi, & nunc in Christo verâ fide credentibus, transactis scilicet sex diebus, id est, sex millium annorum, in quibus eis labor & cruciatus fuit, venit dies septimus & sabbatus verus. Gemina his etiam apud alios occurrunt, veluti apud Strabum in Glossa Ordinaria ad cap. 5. Genes. Aliqui tamen sex istis millibus annis alios quingentos addiderunt, quod Hippolyto, Cyrillo & Chrysostomo tribuit Germanus Episcopus Constantinopolitanus lib. de Theoriâ rerum Ecclesiast. Premitur tamen utraque sententia difficultatibus haud exiguis, quâ de re alibi commodius differemus. Est enim indaginis altioris, neq; hic ob angustiam chartæ potest expediri.

(k) Decreta Dei sunt sunt duplicis generis, quædam absoluta, ut cum quid Deus simpliciter fieri statuit, non habito ullius alterius rei respectu, veluti cœlum & terram fieri in principio temporis Gen. 1, 1, quædam limitata, cum quid fieri decernit prævio aliquo antecedente, vel sub certâ aliquâ conditione, veluti omnes homines servari 1. Tim. 2, 4. *Sed si accedant ad eum*, sicut exponit Auctor Comment. apud Ambrosius: *Non enim*, ut pergit ille, *sic vult, ut nolentes salventur: sed vult illos salvari, si & ipsi velint*, Per gratiam videlicet ante iis collatam. *Non* enim *est vera salus, si nolenti tribuatur; nec gaudere potest in percepta salute, qui invitus (si tamen potest) accepit medicinam: ut non dicam, quia medicinæ effectum habere non potest, nisi ad illam æger animum commodaverit: quia hæc medicina non est corporalis, sed spiritualis, quæ neq; dubiis proficit, neq; invitis.* E contrario decreverat Ninivitas totales, post expletum quadraginta dierum spatium, mulctare Jon. 3, 4. quod & ipsum decretum non erat absolutum, sed involutam habebat tacitam conditionem, nempe nisi veram ac seriam intra tempus istud constitutum agerent pœnitentiam: câ enim interveniente decreverat iis parcere aut pœnam condonare, quod & fiebat. Cum enim Deus videret opera eorum, nempe, quod à viis suis malis se avertissent, ductus ipse pœnitentia super malo, quod illis inferre decreverat, placabatur iis v. 10. Ejusmodi conditionale decretum ergo erat etiam illud, quo Esaias nixus Hiskiæ Regi mortem denuntiabat, his verbis utens. Sic dicit Dominus: *Manda Domui tuæ*, id est, significa domesticis tuis, quid velis fieri post obitum tuum. *Morieris enim tu & non vives* Esa. 38, 1. nempe erat & hoc non simpliciter intelligendum, sed sub conditione, nisi precibus ardentibus diuturniorem lucis hujus usuram impetraveris, quam & reapse intercedentibus lacrymis, ex devoto & pœnitente pectore profectis, impetrabat. Accipiebat enim mox responsum à Deo per eundem Prophetam: *Exaudivi precationem tuam, vidi lachrymas tuas, & ecce, ego addo ad dies tuos quindecim annos*, v. 5. *Quod apud Deum*, inquit Justinus, aut quicunque Auctor est Qq. & Resp. ad Orthodoxos quæst. 33. *definitum est*, subintellige simpliciter & absolute, *id vi movere & transgredi non licet. Hoc autem si ita se habet, sane non determinatæ Ezechiæ vitæ adjecti sunt anni, sed nullo certo fine*, subintellige iterum absolute, *circumscriptis præteritis ejus annis: quoniam exitus quidem aderat à morbo letali, ast non à Deo, qui morbum eum sanavit, & in vitam illum restituit*, præviâ scilicet pœnitentiâ & precatione devotâ. *Ne elevaretur cor Ezechiæ*, ait etiam Hieronymus lib. 9. Comment. in Esaiam, *post incredibiles triumphos, & de media captivitate victoriam, infirmitate corporis sui visitatur, & audit se esse moriturum, ut conversus ad Do-*

ad Dominum flectat sententiam ejus. Quod quidem & in Iona Propheta legimus: & in comminationibus contra David, quædam dicuntur futura, nec facta sunt, non Deo mutante sententiam, sed provocante humanum genus ad notitiam sui. Et Cyrillus Alexandrinus lib. 3. Comment. in Esaiam Tom. 4. *Propheta eum* (Ezechiam) *moriturum dicit, & par esse, ut domum suam disponat. Quod non erat ignorantis, ipsum victurum, & ægrotationis gravitatem misericordia suâ declinaturum; sed vocantis & ad preces extimulantis, ut precatus misericordiam ipsius reciperet.* Gregorius Magnus lib. 16. Moral. in Jobum c. 5. *Omnipotens Deus etsi plerumq; mutat sententiam, consilium nunquam. Eo ergo tempore ex hac vita quisq; subtrahitur, quo ex divina potentia ante tempora præscitur. Sed sciendum, quia creans & ordinans nos omnipotens Deus, juxta singulorum merita disponit & terminum, ut vel malus ille breviter vivat, ne multis bene agentibus noceat: vel bonus iste diutius in hac vita subsistat, ut multis boni operis adjutor existat: vel rursum malus longius differatur in vita, ut prava adhuc opera augeat, ex quorum tentatione purgati justi verius vivant: vel bonus citius subtrahatur, ne si hic diu vixerit, ejus innocentiam malitia corrumpat.* Videantur ibi plura, nec non apud Strabum Fuldensem in Glossâ Ordinaria ad Esa. 38.

(l) Sustentat spes in rebus dubiis & adversis animum hominis, ut se erigat meliora sibi spondens. Ex quo passim etiam gentiles spem alere dicunt hominum genus omnesq; eorum actiones velut sufflaminare. *Quid communissimum sit*, quæsitus Thales, respondit: *Spes.* Rationem addidit hanc: *Quibus enim reliqua omnia desunt, hæc adest*, teste Plutarcho in Conviv. VII. Sapient. Jocaste apud Euripidem: Αἱ ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας, ὡς λόγος, *Spes alunt exules, ut dicitur.* Et Sophocles: Ἐλπὶς ἡ βόσκουσα τοὺς πολλοὺς βροτῶν, *Spes alit homines plurimos.* Athenienses porrò apud Thucydidem lib. 5. *Spes periculi est solatium.* Cicero Orat. 22. quæ est quarta in Catilin. *Spes sola hominem in miseriis consolari solet.* Cato lib. 2 Distich. *Rebus in adversis animum submittere noli: Spem retine, spes una hominem nec morte relinquit.* Tibullus lib. 2. eleg. ult. *Iam mala finissem letho, sed credula vitam spes fovet, & melius cras fore semper ait. Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis Semina, quæ magno fœnore reddat ager. --- Spes etiam valida solatur compede vinctum Crura sonant ferro, spes canit inter opus. Spes facilem Nemesim spondet mihi.* Ovidius lib. 1. Pont. 7. *Spes igitur pœnæ menti Græcine levandæ Non est ex toto nulla relicta meæ. Hæc Dea, cum fugerent sceleratas numina terras, In diis invisa sola remansit humo. Hæc facit, ut vivat fossor quoq; compede vinctus, Liberaq; à ferro crura futura putet. Hæc facit, ut videat cum terras undiq; nullas, Naufragus in mediis brachia jactet aquis. Sæpe aliquem solers medicorum cura reliquit, Nec spes huic venâ deficiente cadit. Carcere dicuntur clausi sperare salutem, Atq; aliquis pendens in cruce vota facit. Hæc Dea quàm multos laqueo sua colla ligantes, Non est proposita passa perire nece.* Alius vetus Poeta lib. 1. Catalectorum à Josepho Scaligero editorum: *Captivus duras illa solante catenas Perferet, & victos vincere posse putat. Noxius infami districtus stipite membra sperat & fixa posse redire cruce. Spem, jussus præbere caput paloq; ligatus Quum micat ante oculos stricta securis, habet. Sperat & in sæva victus gladiator arena, Sit licet infesto pollice turba minax.* Seneca lib. 7. de beneficiis cap. 31. *Neminem ab excitanda domo ruina deterruit: & cum penates ignis absumpsit, fundamenta tepente adhuc areâ*

ponimus, & urbes haustas sæpius eodem solo condimus. Adeò ad bonas spes pertinax animus est. Terra mariq; humana opera cessarent, nisi male cadentia iterum tentare libuisset. Tacitus lib. 2. Annal. *Repulsam propinqua spes solatur.* Quintilianus declam. 6. *Stulta cura est, quæ spem non habet.* Maximus Tyrius dissert. 37. *Spes animam comitantur, ut appetitionem humanam sustineant ac solentur: non illæ quidem cæcæ, ut ab Attico dicuntur Poeta, sed perspicacissimæ, ne ante deficiat anima, sed ea, quæ maximè optat consecuturam se confidat. Quæ quidem spes ex humanis si exulasset rebus, jam diu commercia sua negotiator, & stipendia miles, & navigationem mercator, & rapinas suas prædo, & nocturna intermisisset furta scrutator.* Symmachus lib. 2. Epist. 52. *Spes in adversis alere animos solet.* Ausonius Edyllio 12. *Et nunquam in dubiis hominum bona destituens spes.* Verum non rarò spes suo frustratur eventu, si lubrico nitatur fundamento. Unde Sophocles in Antigone: *Incerta spes multos consolatur: multos autem decipiunt leves cupiditates.* Et Ovidius lib. Epistolarum Epist. 16. *Fallitur augurio spes bona sæpe suo.* Seneca quoque hinc Epist. 10. *Spes,* inquit, *incerti boni nomen est.* Et Silius Italicus lib. 7. Punic. bellorum: *Spes heu fallaces, oblitaq; corda, caducum Mortali quodcunq; datur.* Sed & Symmachus rursum lib. 16. Epist. 38. *Re magis, quàm spe tuti esse debemus.* Exspirat quoque hujusmodi spes in morte. Ex quo Theognis in sententiis non procul à fine: *Dum quis vivit & videt lumen Solis, pie agens circa Deos, spem bonam retineat.* Et Lycurgus Oratione adversus Leocratem: *Homini viventi spes est, ab infelicitate tandem se liberatum iri, defuncto autem vita simul auferuntur omnia, per quæ quisquam felix esse queat.* Adhæc Ausonius Eidyl. 12. *Spes nullo finita ævo: cui terminus est mors.* At spes in Deum collocata ejusque promissionibus nixa non incerti, sed certissimi nobis nomen boni est. *Simplex* enim *omninò*, teste vel ipso Platone lib. 2. de Republica, *Deus est, & verax dictis ac factis, & neq; mutatur ipse, neq; alios decipit.* Unde de spe ista verba faciens Apostolus Rom. 5. 5. Spes, ait, non confundit, hoc est, non est irrita aut non frustratur nos. *Quis est, qui confunditur?* quærit Beda in Comm. ad hunc locum. Et respondet: *Qui dicit, ego quod sperabam, non inveni.* Idque amplius diducit Augustini utens verbis. Sic enim pergit: *Et meritò. Sperabas enim de te, aut sperabas de homine amico. Maledictus autem, qui spem suam ponit in hominem. Confunderis, quia fefellit te spes posita in mendacium. Omnis enim homo mendax. Si autem ponas spem tuam* (ita subdit ille) *in Domino Deo, non confunderis, quia ille, in quo spem posuisti, fallere non potest.* Atque hinc ne morte quidem evanescit spes fidelium in Deo recumbens. Promisit enim ille fore, ut ipsos rursum ex mortuis revocet, & quidem ad vitam perpetuam & absolutissima beatitudine refertam. Ex quo meritò Jobus cap. 13, 15. *se speraturum* pronuntiat *in Deo*, etiamsi morti ab ipso traderetur. Sic enim ille ex translatione LXX. Interpretum: Ἐάν με χειρώσηται ὁ δυνάστης, -- ἤ μὴν λαλήσω, -- καὶ τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν, *Licet opprimat me, qui potens est, -- tamen loquar, -- & hoc mihi evadet in salutem.* Pro quo Vulgatus Latinus: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo: -- & ipse erit Salvator meus.* Pertinet huc, quod & Chrysostomus scribit homil. 9. in Ep. ad Romanos: *Quid igitur? Bona illa futura in spe posita tenemus? In spe quidem, sed non humanâ, quæ subinde & intercidit, & sperantem pudore afficit, vel eo, qui præstare sperata aut tueri debebat, moriente; vel etiam si vixerit, sententiam mutante. Nostra verò ejusmodi non*

est, sed firma & immobilis perdurat. Cum enim is, qui promisit, perpetuò vivat, nos autem qui promissis potituri sumus, etiamsi moriamur, denuo tamen resuscitandi sumus, nihil omninò est, quod nos in hâc spe confusione possit reddere obnoxios, quasi frustra & vane in spem debilem & emarcidam, inducti simus.

(m) Ad quem locum respexit etiam R. Simon, quando differens de Trinitatis SS. arcano scribit: *Hoc arcanum non revelabitur unicuiq;, quousq; venerit Messias, quia tunc, ut dicit Esaias Propheta, repleta erit terra scientiâ Dei, sicut aquæ mare operientes.*

(n) Justinus Philosophus & Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo ad verba illa Gen. 1, 26. Faciamus hominem: *Hæc ipsa à Patre reverà edita progenies* (Filius Dei unigenitus) *ante creaturas omnes unà cum Patre fuit, & cum eâ Pater colloquitur, prout verbum per Salomonem declaravit, primitus ante creaturas omnes hanc ipsam progeniem à Deo genitam esse, quæ sapientia à Salomone vocatur.* Teophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum: *Cum dicit Deus, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, hominis excellentiam & dignitatem prodit. Cum enim cætera omnia sermone nudo constitueret Deus, & ea quasi obiter nullâ peculiari adhibitâ diligentiâ conderet, hominem existimavit solum opus esse sempiternum, suisq; manibus dignum. Præterea, dum hæc loquitur, videtur ea proferre, quasi auxilio aliquo egeat: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: At hæc verba ad neminem alium, quàm ad suum sermonem sapientiam direxit.* Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 4. *Quis dignus incolere Dei opera, quàm ipsius imago & similitudo. Eam quoque bonitas, & quidem operantior operata est, non imperiali verbo, sed familiari manu, etiam verbo blandiente præmisso, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Bonitas dixit, bonitas finxit hominem de limo in tantam substantiam carnis ex unâ materiâ, tot qualitatibus exstructam.* Et lib. de Resurrect. carnis c. 5. *Ad distantiam provocamus: Primo quidem, quod omnia sermone Dei facta sunt, & sine illo nihil: caro autem & sermone Dei constitit propter formam, ne quid sine sermone. Faciamus enim hominem ante præmisit; & amplius manu propter prælationem, ne universitati compararetur. Et finxit, inquit, Deus hominem. Magnæ sine dubio differentiæ ratio, pro conditione scilicet rerum. Minora enim quæ fiebant, eo, cui fiebant. Siquidem homini fiebant, cui mox à Deo addicta sunt. Meritò igitur ut famula, jussu & imperio, & solâ vocali potestate universa processerant: contra, homo, ut Dominus eorum in hoc ab ipso Deo exstructus est, ut Dominus esse posset, dum fit à Domino.* Rursus cap. 6. *Quod illa pusillitas, limus, in manus Dei, quæcunq; sunt pervenit, satis beatus etsi solummodo contactus. Quid enim si nullo amplius opere statim figmentum de contactu Dei constitisset? Adeò magna res agebatur, quæ istâ materiâ exstruebatur. Itaq; toties honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita, totum illi Deum occupatum, manu, sensu, opere, consilio, sapientiâ, providentiâ, & ipsâ inprimis adfectione, quæ lineamenta ductabat.* Gregorius Nyssenus lib. de homin. opif. cap. 3. *O rem admirandam! Sol creatur, nulla deliberatione præcedente, eodemque pacto cœlum: quibus duobus nihil esse par creatis in rebus potest. Uno verbo hujusmodi in rerum natura miraculum exstitit: neq; unde, vel quomodo ea facta sint, expositum est. Idem cæteris in rebus singulis usuvenit. Æther, sidera, interjectus inter hæc & nos*

aër, ma-

aër, mare, terra, animalia, plantæ, omnia uno Dei verbo in ortum producta sunt. Solius ad hominis fabricationem creator ille universitatis rerum quâdam cum consideratione accedit: præparataq; primum opificii materie illiusq; forma ad eximiæ pulchritudinis exemplar exprimendum designata, sine etiam proposito, ad quem creandus esset, tum deinde naturam sibi consimilem & actionibus affinem fabricat, quæ operi, cui destinaretur, esset aptissima. Ambrosius lib. de dignitate conditionis humanæ c. 1. *Tanta humanæ conditionis dignitas esse cognoscitur, ut non solo jubentis sermone, sicut alia sex dierum opera, sed consilio sanctæ Trinitatis & opere Majestatis divinæ creatus sit homo.* Johannes Chrysostomus homil. 10. in Genesin; *Dicendo, faciamus hominem, & consilium, &, ut dicitur, studium adhibuit omnium opifex, ut ipsa formandi figura hominis dignitatem ostenderet: & ante formationem etiam doceret, quantum principatum formando homini daturus esset.* Theodoretus Quæst. 19. in Genesin; *Deus, qui prænoscit omnia, quæ nondum facta sunt, tanquam jam facta, & prævidit incarnationem unigeniti, quodq; ex virgine eandem naturam sumpturus esset, quam sibi constaret sicq; uniret, ut una persona Dei & hominum intelligatur, & una eademq; illi adoratio ab universa creatura deferatur: Justa de causa & ipsam, velut generis fundamentum, summo honore dignatus est. Atq; in primis creationi consilium antepoſuit, ut quod in creatura rationale erat, præmonstraret. --- & tanquam autor hujusmodi creationis majorem erga creaturam humanitatem patefecit. Hoc ipsum & strenuus ille Job, ipsum alloquens clamat, Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me. His quoq; verbis usus est David. --- Sed & ipse creator per Hieremiam & Esaiam ait, Quoniam nos lutum, ipse verò plastes noster.* Vid. Aurelius Prudentius in Apotheosi, necnon Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Glaphyrorum, Gregorius Magnus item lib. 9. Moral. in Jobum cap. 27. Rupertus lib. 2. Comment. in Genesin cap. 20. aliique plures.

(o) De Paradiso ita Ambrosius lib. de Paradiso cap. 1. *Posuit eum* (hominem Deus) *in Paradiso, sicut solem in cœlo, expectantem regnum cœlorum, quemadmodum creatura expectat revelationem filiorum Dei.* De ligno vitæ autem lib. 13. de civitate Dei c. 20. *De ligno vitæ propterea gustabatur, ne mors eis undecunq; subreperet, vel senectute confecti decursis temporum spatiis interirent, tanquam cæteris essent alimento, illud sacramento: ut sic accipiatur fuisse lignum vitæ in Paradiso corporali, sicut in spiritali, hoc est, intelligibili Paradiso sapientia Dei, de qua scriptum est: Lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam.* Et c. 23. *Adam non immortalitate illa absoluta atq; indissolubili, sed ligno vitæ à mortis necessitate prohibebatur atq; juventutis florere tenebatur.* Rursus lib. 14. cap. 26. *Vivebat homo in Paradiso, sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus jusserat: vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret: potus, ne sitiret: lignum vitæ, ne illum senecta dissolveret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat.* Hæc Augustinus quibus congruit, quod jam ante ipsum scripserat Joannes Chrysostomus hom. 18. in Genesin, Sic enim ille: *Lignum vitæ, ut existimo, & est verisimile, immortalem hominem fecisset.* Sed & Bedæ illa huc pertinent ex Comment. in Genesin: *Lignum vitæ dictum est, quia divinitus acceperat, ut qui ex eo manducaret, corpus ejus stabili sanitate firmaretur, ne vel ætate in deterius, vel*

tandem in occaſum dilaberetur. Damaſcenus lib. 2. de orthod. fide cap. 11. *Lignum vitæ arbor erat aſſerendæ vitæ facultatem habens: ſed ejusmodi, ut iis ſolis eâ veſci liceret, qui vita digni, mortique minimè obnoxii eſſent.* Strabus in Gloſsâ ordinariâ: *Lignum vitæ hanc virtutem habebat, ut qui ex ejus fructu comederet, perpetua ſoliditate veſtiretur, nullâ infirmitate vel anxietate, vel ſenii laſſitudine, vel imbecillitate fatigandus.* Nicolaus de Lyra ad cap. 2. Geneſ. verba iſta: Produxit Dominus de humo omne lignum pulchrum viſu & ad veſcendum ſuave; lignum etiam vitæ in medio Paradiſo: *Produxit lignum, ut eſſet homini ad eſcam, quia habebat vitam animalem cibis indigentem: lignum etiam vitæ ad impediendum ſenectutem. Ad cujus intellectum ſciendum, quod ad vitam animalem continuandam requiritur cibus, per quem reſtauratur humidum deperditum per actionem calidi naturalis. Verumtamen iſta reſtauratio non fit, ſecundum æquivalentiam, ut dicit Philoſophus, de Gener. quia caro generata ex alimento impurior eſt, quàm prima: ſicut & vinum generatum per aquæ appoſitionem & converſionem, quia ſi continuaretur talis appoſitio, vinum fieret aquoſum, & tandem deſiceret ſpecies vini, & eodem modo, quia caro generata per alimentum impurior eſt, & per talem continuationem inducitur ſenectus, in qua carnes ſunt impuriores, & tandem deficit vita: igitur quia homo factus eſt in vita animali, in qua calidum conſumit humidum, indigebat eſu lignorum, de quibus hîc dicitur: Omne lignum pulchrum viſu & ad veſcendum ſuave. Sed ad hoc quod prædicta reſtauratio fieret ſecundum æquivalentiam & per conſequens impediretur ſenectus, indigebat eſu ligni vitæ, quod propter hoc ſic nominatur, & hoc eſt, quod dicit Auguſtinus* 14. *de civit. Dei, quod cibus aderat homini, ne eſuriret: potus, ne ſitiret: lignum vitæ ne illum ſenectus diſſolveret.*

(p) In Hebræo vocabulum *Scheol* eſt, quod propriè ſignificat ſtatum animæ à corpore ſeparatæ, quæ & propria vocis ᾅδου ſignificatio eſt, quâ in translatione iſtius utuntur LXX. Interpretes. Plato ſane in cratylo apertè ᾅδην vocat *locum vel ſtatum*, παρ' ἐκεῖνον ἀπέρχεται ἡ ψυχὴ γυμνὴ τοῦ σώματος, *in quem migret anima corpore nudata.* Et in Phædone idem ſcribit: *Anima, quæ inviſibile quoddam eſt, in ſimilem quendam locum aliumq́ migrat, excellentem, purum & inviſibilem,* εἰς ᾅδου, *ad inferos.* Pariter & Sextus Empiricus lib. 8. adverſus Dogmaticos de ſtatu animarum poſt mortem verba faciens: περὶ τῶν ἐν ᾅδου, inquit, *de iis, quæ apud inferos aguntur, omnes homines, perinde atq́ de Diis, communem habent notionem,* κοινὴν ἔννοιαν. Strabo quoque animam & ᾅδην conjungit lib. 14. Geographiæ, quando *Indos & Brachmanas* eadem ferè cum Platone ſenſiſſe ſcribit περὶ τε ἀφθαρσίας ψυχῆς, καὶ τῶν καθ' ᾅδου κρίσεων, *de immortalitate animæ & judiciis apud inferos.* Accedit his etiam Porphyrius in ſententiis ad intelligibilia ducentibus ſent. 32. ubi duplicem facit animæ ſtatum, *alterum*, quo gaudet *in terra cum corpore adhuc conjuncta*; alterum quem habet ἐν ᾅδου, *in inferno.* Sed & in Scripturis ſacris ᾅδης ad animam reſtringitur à corpore ſeparatam. Veluti Syrac. 48, 5. ubi de Elia dicitur, quod *mortuum*, filium videlicet viduæ Sareptanæ, ceu conſtat ex 1. Reg. 17, 19. ſeqq. *ſuſcitarit atq́* ἐξ ᾅδου, *ex inferno*, id eſt, ſtatu illo, in quem deveniunt animæ à corpore avulſæ, *revocarit.* Ἅδης quoque nominatur Luc. 16, 23 ubi certum eſt agi de ſtatu animarum Lazari & divitis à corporibus ſuis ſeparatarum, atque ſic verba concipiuntur, ut non dives ſolum ἐν ᾅδου fuiſſe dicatur, ſed & Abraham

& Laza-

& Lazarus. Sic enim illa sonant: *Dives in inferno sublatis oculis, quum essent in tormentis, vidit Abrahamum à longinquo & Lazarum in sinu ejus.* Quomodo ea & Tertullianus intellexit lib. de Idololatriâ c. 13. scribens: *Sic & Lazarus apud inferos in sinu Abrahæ refrigerium consecutus, contra dives in tormento ignis constitutus.* Et Hieronymus Epist. 25. ait: *Et Abraham licet in loco refrigerii, tamen apud inferos fuisse scribitur.* Taceo Theophilum Antiochenum lib. 4. Alleg. in Johan. Chrysostomum homil. de divite. Eusebium Emissenum Fer. V. post Dom. 2. in Quadrag. & alios. Sed & *Scheol* passim animæ adaptatur, veluti Psal. 16, 11. & Psal. 89, 49. Ubi divinus Psaltes diserte: *Quis vir est, qui vivat & non moriatur, qui eripiat animam suam à violentiâ inferni*, id est in statum non deveniat defunctorum, quorum anima à corpore est sejuncta. Verum Christus ex isto statu homines liberare debebat animabus ipsorum regressum in corpora sua largiendo.

(q) Verba Homeri pariter & Cœlii Rhodigini adduximus in Not. marg. ad Concionem de prærogativa beatitudinis fidelium N. T. præ sanctis sub veteri ex Luc. 10, 23. 24. Sed & alii gentilium agnoverunt se misericordia Dei indigere ad consequendam felicitatem maximè alterius seculi. Veluti de Mercurio Trismegisto memorat Suidas in voce ἑρμῆς, quod hujusmodi precum formulam habuerit in usu: *Obtestor te cœlum magni Dei sapiens opus. Obtestor te vocem Patris, quam locutus est primam, quum omnem mundum firmavit.* Ὁρκίζω σε κατὰ τοῦ μονογενοῦς λόγου, καὶ τοῦ πατρὸς τοῦ περιέχοντος πάντα, ἵλεως, ἵλεως ἔσο, *Obtestor te per unigenitum sermonem & Patrem omnia continentem, propitium, propitium esto mihi.* Tribuit hanc precationem Trismegisto etiam Cedrenus, necnon Chronicon Alexandrinum p. 111. Cyrillus Alexandrinus autem eam Orpheo adscribit. De Socrate insuper ex Platonis Phædone constat, quod cicutam biblturus, in hæc eruperit verba: Εὔχεσθαί γέ που τοῖς θεοῖς ἔξεστί τε καὶ χρὴ τὴν μετοίκησιν τὴν ἐνθένδε ἐκεῖσε εὐτυχῆ γενέσθαι. Et licet & oportet orare Deos, ut felix sit transmigratio nostra. ἃ δὴ καὶ ἐγὼ εὔχομαί τε καὶ γένοιτο ταύτῃ. *Quod equidem obsecro, atq; utinam ita fiat.* Thraseam quoque Patavinum Philosophum, cum Neronis jussu præcisis venis diem obiturus esset refert Dio manu extensa clamasse: Ζεῦ ἐλευθέριε, τοῦτό σοι τὸ αἷμα σπένδω, *Jupiter, Servator, hunc ego tibi sanguinem dico.* Hæc Dio Cassius lib. 62. & ex eo Xiphilinus.

(r) Glossa Talmudica Massechet Sanhedrin c. 11. *R. Abika de diebus Messiæ, & Rege Messiâ explicat.*

(s) Tot circiter anni emergunt, quum sequimur annorum supputationem, quam hodie suppeditant Hebraica volumina. Quo spectant & ista Eusebii ex lib. 1. Chronicorum: *Apud Hebræos usq; ad nativitatem Abrahæ computantur anni mille nongenti quinquaginta. Usq; ad diluvium enim ab Adam habent annos M DC LVI. & inde usq; ad Abraham CCXCIII.* Ast si calculum ponamus juxta LXX. tralationem, numerus longe major resultat. Juxta illam enim ab Adamo usque ad diluvium anni sunt 2242. à diluvio autem usq; ad nativitatem Abrahami anni 942. adeoq; ab Adamo usq; ad Abrahamum anni 3184. Unde & Paulus Orosius Hispanus LXX. secutus lib. 1. Historiar. cap. 1. *Sunt ab Adam primo homine usq; ad Ninum, magnum, ut dicunt, Regem, quando natus est Abraham, anni tria millia CLXXXIV.* Videatur & Freculphus Chronic. Tom. 1. lib. 1. cap. 25. & 35. nec non Albertus Abbas Stadensis in Chronico circa medium secundæ seculi ætatis. Sed & majorem numerum infert calculatio Josephi. Juxta hanc enim diluvium incidit in annum mundi

 bis mil-

bis millesimum sexcentesimum quinquagesimum sextum, ceu videre est apud eum lib. 1. Antiquit. cap. 4. Abraham autem natus est post diluvium anno *secundo supra ducentesimum & nonagesimum*, ostendente eodem lib. 1. Antiquit. cap. 7. promissio de Messia verò ex semine ipsius nascituro facta ipsi primùm est, cum annos natus esset *septuaginta quinq;*. Tum enim monitus divino Oraculo Chaldæam reliquit & cum terrâ Chanaan mutavit, ut idem auctor refert lib. 1. Antiquit. c. 8. Chronicon Alexandrinum numerum adhuc amplius, ac LXX. extendit. Sic enim illud de Abrahamo loquens: Ἀβραὰμ ἐτ ὁμῦ γ ξ, *Abrahamus natus annos LXX. ab orbe condito MMMCCCCVII.* Verum est & hæc res prolixior ac intricatior, quàm quæ hic debeat aut queat enodari. Quamquam & inter eos, qui Hebræos codices sequuntur, non conveniat præcisè de anno, quo prima de Messia promissio Abrahæ fuit facta. Quidam enim eam conjiciunt in annum mundi 2023. ut Hermannus contractus, Lambertus Schafnaburgensis: alii in annum 2073. ut Jacobus Capellus: alii in annum 2083. ut Jacobus Ufferius Armachanus: alii in annum 2113. ut Augustinus Torniellus in Annalibus sacris; alii in annum 2251. ut Marianus Scotus lib. 1. Chron. c. 16. alii in alium. Ab Abrahamo autem ad Christum Orosius numerat annos 2015. Sic enim ille loco citato: *A Nino vel Abraham usq; ad Cæsarem Augustum, id est usq; ad nativitatem Christi, quæ fuit anno imperii Cæsaris XLII. cum facta pace cum Parthis Jani portæ clausæ sunt, & bella toto orbe cessarunt, colliguntur anni duo millia XV.* Albinus Flaccus autem lib. de divin. officiis cap. 1. & Hermannus Contractus in Chron. annos 1929. est enim ipsis annus nativitatis Christi annus mundi 3952. Marianus Scotus 1940. Juxta ipsum enim Servator natus est Anno mundi 4193. Alii aliter calculum ponunt, annos aut plures, aut pauciores numerantes, quibus nos nihil hic attinet immorari. Amalarius Fortunatus Trevirensis lib. 4. de Eccl. Officiis cap. 31. *Tempus præsentis seculi tribus temporibus distinguitur, videlicet naturalis legis & legis literæ, & novi testamenti.* Honorius Augustodunensis lib. 3. gemmæ animæ sive de antiquo Missæ ritu c. 1. *Tria tempora, scilicet ante legem, sub lege, sub gratia intelliguntur.* Hugo de S. Victore Erud. Theol. in Can. Missæ c. 5. *Sunt tria tempora, tempus ante legem, tempus sub lege, & tempus gratiæ: & in solo tempore gratiæ Dominus Jesus venit.*

(s) Hieronymus transtulit, *Pater futuri seculi*, atque in Comment. addit. *in nostra hoc vocatione compleri.* Vocamur enim per Christum ab hoc seculo ad alterum, à diebus temporis ad dies æternitatis. Et Theodoretus in Comment. scribit: *Pater* dicitur *futuri seculi. Sicut Adam pater seculi hujus appellatur: sic ipse futuri. Si qua enim*, ait Apostolus 2. Corinth. 5, 17. *in Christo est, nova creatura est: vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.* Rupertus Tuitiensis lib. 2. Comm. in Esaiam cap. 3. *Dicitur Pater futuri seculi, quia nimirum peracto judicio, non jam ut Dominus servorum, sed ut Pater filiorum regnabit.* Nicolaus de Lyra: Vocatur *pater futuri seculi, electos ad civitatem cœlestem admittendo.* Et in expositione morali: *Pater est futuri seculi filiis charissimis bona futuri seculi reservando.*

(t) LXX. Interpretum versio ita sonat: *Sacrificium & oblationem noluisti: σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι, corpus autem perfecisti mihi.*

(u) Alcuinus lib. de divin. offic. cap. 1. *Conveniebat, ut circa illam horam noctis nasceretur*

nasceretur (Christus) *quâ à mortuis resurrexit. Unde Salomon: Dum medium silentium tenerent omnia, & reliqua.* Anshelmus in Elucidario: *Qua hora* Christus *natus est? Media nocte, ut dicitur: Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, sermo tuus à regalibus sedibus venit.* Rupertus 3. de divin. offic. 16. *Nocte Dominica natus est Christus, consonante mirabilium suorum ordine, ut quo die dixit: Fiat lux, & facta est lux, ejusdem diei nocte oriretur in tenebris lumen rectis corde.* Verba Platonis sunt: *Omnis magistratus tam annui, quàm majoris temporis pridie Calendas mensis illius, quo post æstivum solstitium novus incipit annus, in templum unum conveniant.* Simplicius autem Comm. 29. scribit: *In tempore & fluentibus & his quæ fiunt, quod est prius natura, hoc est primum. Quædam verò nos facimus principia, ut anni. Athenienses enim annum inchoant circa conversiones æstivas; alii circa autumnum, ut ii, qui eam terræ plagam inhabitant, quæ Asia nuncupatur: alii circa conversionem hyemalem, ut Romani: alii circa vernalem, ut Arabes, & ii, qui sunt ex Damasco.* De Atheniensibus idem, quod modò ex Simplicio dictum, indicat etiam Thucydides lib. 2. Histor. de bello Peloponnesiaco. Post orationem enim funebrem, quam Pericles habuerat, ut laudaret eos, qui pro patria pugnantes in bello Peloponnesiaco primi fortiter occubuerant, subdit: *Hujusmodi igitur funus hac hyeme factum est. Hac autem exacta primus hujus belli annus est absolutus. Æstate autem statim ineunte, Peloponnesii eorumque socii cum duabus copiarum partibus, ut & ante, in Atticam irruperant.*

(vv) Augustinus in Psal. 132. *Ille* (Joannes) *natus est, sicut tradit Ecclesia, octavo Calendas Julias, cum jam incipiunt minui dies: Dominus autem natus octavo Calendas Januarias, quando jam dies incipiunt crescere. Audi ipsum Joannem confitentem: Illum oportet crescere, me autem minui.* Et lib. 83. Quæstionum quæst. 57. *Joannes ipse, Illum* (Dominum) *inquit oportet crescere, me autem minui. Quod & diebus, quibus nati sunt, -- figuratum est. Nascitur namq; Joannes, ex quo dies incipiunt minui: nascitur Dominus, ex quo dies incipiunt crescere.* Paulus Orosius lib. 7. Histor. cap. 2. *Natus est Christus VII. Kalend. Januarii, quando primum incrementa omnia anni venientis incipiunt.* Honorius Augustodunensis lib. 3. de antiquo Missæ ritu cap. 7. *Ideò Christus in fine anni nasci voluit, quia in fine seculi in mundum venit. Ideò in nocte ei nasci placuit, quia clam, scilicet carne latens, venit. Post ejus natalem dierum lux prolongatur, quia in eum credentes ad æternitatis lucem vocantur.*

(x) *Dignatus est*, inquit Chrysostomus homil. 9. in Joannem, *sive servi sint, sive liberi, sive sapientes, sive insipientes, sive viri, sive mulieres, sive pueri, sive senes, sive nobiles, sive ignobiles, sive pauperes, sive divites, sive principes, sive privati. Fides enim & gratia Spiritus sancti*, ex quo scilicet renascimur, *mortalium omnium diversitatem comprehendens in unam redegit formam, & uno regio imprimit charactere.* Augustinus Tractat. 2. in Joannem: *Isti* (credentes) *quia filii Dei sunt & fratres Christi, utique nascuntur. Nam si non nascuntur, filii quomodo esse possunt? Sed filii hominum nascuntur ex carne & sanguine, & ex voluntate viri, & complexu conjugii. Illi autem nascuntur -- ex Deo. Utq; nascerentur ex Deo, primus ex ipsis natus est Deus. Christus enim Deus, & Christus natus ex hominibus.*

Non

welcher über uns reichlich und zwar eben in der Tauffe außgegossen wird durch JEsum Christ. In dem H. Abendmahl werden wir gespeiset mit dem Leibe und getrencket mit dem Blut Christi/ welche auch voll Geistes sind. Denn in ihm wohnet die gantze Fülle der Gottheit leibhafftig / zun Colossern am 2. und also auch die gantze Fülle deß Geistes/ den GOtt ihm gegeben hat/ nicht nach dem Maaß/ Johannis am 3. Cap. Denn er ist das Freuden Oel/ damit Christus gesalbet ist über seine Genossen/ daß auch wir aus seiner Fülle nehmen könten Gnad umb Gnade/ das ist/ eine Gabe deß Geistes nach der andern. Darumb kan es nicht fehlen/ wer Christi Leib und Blut im H. Abendmahl zum öfftern geneust/ in dem wird die Krafft deß Geistes gemehret/ welches der HERR auch nicht dunckel zuverstehen gibt bey dem Johanne am 6. Cap. in diesen Worten: Wer mein Fleisch isset und trincket mein Blut/ der bleibet in mir und ich in ihm. Nun bleibet aber Christus in uns durch seinen Geist/ nach dem Zeugniß Johannis: daran erkennen wir/ daß er in uns bleibet an dem Geist/ den er uns gegeben hat/ in seiner ersten Epistel am 3. Capitel. Folgends wird durch die Niessung deß Leibes und Bluts Christi unsern Leibern eingesencket die Wurtzel deß Lebens. Denn wie solte der Leib ewig dem Tod unterworffen seyn/ der mit dem lebendigmachenden Fleisch und lebendigmachenden Blut JEsu Christi/ deß Hertzogen und Fürsten deß Lebens/ der das Leben gleich dem Vater in sich selbst hat/ ist ernehret worden? Wer mein Fleisch isset und trincket mein Blut/ sagt unser Heyland hievon weiter bey dem Johanne am 6. Cap. der hat das (t) ewige Leben und ich wil ihn aufferwecken am Jüngsten Tage. So lässet der H. Geist auch nicht die/ in welchen er wohnet/ vom Tode überwältiget werden/ eben darumb/ weil er ist ein Geist deß Lebens/ wohin der Apostel Paulus sein Absehen hat in den Worten aus der Epistel an die Römer am 8. Cap. So der Geist/ deß der Christum von den Todten aufferwecket hat/ in euch wohnet/ so wird auch derselbe/ der Christum

Tit. 3/ 7.
Col. 2/ 9.
Joh. 3/34.
Psalm. 45/8.
Joh. 1/17.
Joh. 6/ 56.
1. Joh. 3/ 24.
Joh. 6/54
Rom 8/11.

stum von den Todten aufferwecket hat / eure sterbliche Leibe lebendig machen umb deßwillen / daß sein Geist in euch wohnet. Adam peccando damnavit in mortem corpora vestra: sed Iesus, si est Spiritus ejus in vobis, vivificabit & mortalia corpora vestra: sic liberaberis de corpore mortis hujus, non corpus non habendo, sed non ulterius moriendo, schreibet Augustinus, da er diese Wort deß Apostels betrachtet in seiner 6. sermon de verbis Apostoli am 14. Cap. Adam hat durch die Sünde eure Leibe gebracht zur Verdamniß deß Todes / aber JEsus wird auch eure sterbliche Leibe lebendig machen / im Fall sein Geist in euch ist. So wirstu erlöset werden von dem Leibe dieses Todes / nicht / als wenn du keinen Leib ins künfftige mehr haben soltest / sondern daß du nicht mehr dem Tode unterworffen seyn wirst.

Uber dem offenbahret sich auch Christus in der Mitte angeregten zwiefachen Lebens als unser König / der uns zu beyden leitet und führet. Denn wie der Satan herrschet über die / welche tod sind in Sün-
Apoc. 21/10. den / daß er sie stürtze ins ewige Verderben / welches ist der ander Tod / und dahero wol mag genennet werden der Fürst deß Todes / in massen
Hebr. 2/14. denn auch von ihm daher gesagt wird / daß er deß Todes Gewalt habe: Also dagegen herrschet Christus als der Fürst deß Lebens über die / welche in seinem Geist leben / daß er sie zum Besitz bringe deß ewigen Lebens. Das ward abgebildet an dem (u) Baum deß Lebens / von welchem gedacht wird / daß ihn GOtt gesetzet habe mitten im
Gen. 2/8. Garten Eden. oder mitten im Paradiß / damit er nemlich so viel bequemer auch andern Bäumen mittheilen könte eine Krafft deß Lebens. Christus ist der rechte Baum deß Lebens / welchen GOtt gesetzet hat mitten in das geistliche Paradieß das ist / die Christliche Kirche / daß er eine Krafft deß Lebens außgiesse in alle Gläubige / die da sind Pflan-
Esa. 41/3. tzen der Gerechtigkeit / und Bäume deß Heils / daß sie wachsen wie die Bäume gepflantzet an den Wasserbächen /

die

die ihre Frucht bringen zur rechten Zeit und derer Blätter nicht verwelcken. Denn Christus ist nicht müssig in seiner Kirchen/ sondern er wandelt immerdar mitten unter den sieben Leuchtern/ daß er neue Krafft den Seinigen darreiche und seinen Glantz in sie außgiesse/ damit sie das Liecht deß Lebens haben mögen/ zumal wenn sie ihn umb seine Gnade mit vereinigtem Geist anruffen. Denn wo zween oder drey versamblet sind in seinem Namen/ da ist er mitten unter ihnen/ nach seiner Verheissung bey dem Evangelisten Mattheo am 18. Cap. Noch mehr aber wird er sich in der Mitte deß geistlicken und ewigen Lebens/ vermöge seiner königlichen Gewalt/ offenbahren an jenem Tage/ wenn er kommen wird als ein gerechter Richter denen/ welche im Geist gewandelt haben/ das ewige Leben in der That selbst zuertheilen/ da er zugleich auch noch auff eine andere Weise in der Mitte zweyer Leben wird erkant werden/ nemlich in der Mitte deß ewigen himmlischen und seligen Lebens der Frommen und Außerwehlten/ und deß unseligen Lebens der Gottlosen vnd Verdampten. Denn Er wird alsdenn sitzen in der Mitte auff dem Thron seiner Herrligkeit/ einer Wolcken/ und umb sich her durch seine Engel versamlen lassen alle Menschen/ dann eine Absonderung zwischen denselben anstellen und etliche/ nemlich/ die Außerwehlte/ zu seiner Rechten/ die andere aber/ die Gottlosen/ zur Lincken stellen/ da denn zu jener Seiten umb ihn schweben wird das selige Leben/ welches er zuerkennen wird den Frommen/ zu denen er sagen wird: Kommet her/ ihr gesegneten meines Vatern/ ererbet das Reich/ das euch bereitet ist von Anbegin der Welt/ zu dieser aber das unselige Leben/ welches er zuerkennen wird den Gottlosen/ die er mit diesen Worten anreden wird: Gehet hin ihr Verfluchten in das höllische Feuer/ das bereitet ist dem Teuffel und seinen Engeln. Denn er wird alsdenn einem jeglichen geben nach seinen Wercken/ nemlich Preiß und Ehre und unvergängliches Leben denen/ die in guten Wercken getrachtet haben nach dem ewigen Leben/ aber Vngnad und

Psal. 1/3.
Apoc. 1/13.
Matt. 18/20.
Matt 25/34.
v. 41.
Rom. 2/6 7. 9.

und Zorn/ Trübsal und Angst über alle Seelen der Menschen/ die böses thun/ zumahl auch über die/ welche zur Gemeinschafft Babels mit gehöret/ und die Seinigen alhier gequälet haben. Denn es ist recht für Gott Trübsal zu vergelten denen/ die den Frommen Trübsal anlegen/ ihnen aber Ruhe mit GOtt/
2. Theß. 1/6. & seqq. wenn nun Christus kommen wird mit Feuerflammen und mit den Engeln seiner Krafft Rache zu üben an allen denen/ so nicht gehorsam sind dem Evangelio unsers HErren JEsu Christi/ welche von dem Angesicht deß HErren und von seiner herrlichen Macht leiden werden Pein/ und das ewige Verderben/ so zwar in der Schrifft der (W) Tod genennet wird/ dieweil die Verdampten ewig werden abgesondert seyn von der Gnade GOttes/ welche ist das Leben der Seelen/ aber es kan derselbe auch wol ein Leben genennet werden wegen der Pein und Quaal/ die daraus entstehen wird und von den Verdampten ewig wird gefühlet und empfunden werden/ in dessen Erwegung von ihnen gesagt wird/ daß ihr Wurm nicht sterben und ihr Feuer nicht verleschen werde / bey dem
Esa. 66/22. Propheten Esaia am 66. Capittel.

Daß wir nun nicht unter dieser/ sondern unter jener Anzahl nach dieser Zeit mögen erfunden werden/ müssen wir Christum alhie in der Mitte stellen unsers gantzen Lebens/ welches geschehen kan/ wenn wir denselben den Zweck dessen seyn lassen. Denn wie das Ziel in einer Scheibe/ darnach die Schützen ihr Geschütz richten/ in der Mitte derselben ist/ also ist Christus in der Mitte unsers Lebens/ wenn wir den zum ziel bey demselben uns fürgestecket haben/ das ist/ all unser Beginnen und Fürnehmen zu ihm richten/ daß wir sagen können mit dem Apostel Paulo: Christus ist mein Leben/ aus der Epistel an die Philipper
Phil. 1/21. am 1. Cap. Dem hab ich mich gantz und gar ergeben/ und zu ihm mein gantzes Leben gewandt. Christus mihi vita est, non enim aliâ causa vivere volo, nisi Christi, wie die Wort Hieronymus in seinem Commentario erkläret/ (x) Christus ist mein Leben/ denn aus keiner

keiner andern Ursach begehr ich zu leben / als allein umb Christi willen. Die Weltweisen mercken an / daß deß Menschen Leben fürnemlich (y) zweyerley sey / nemlich contemplativa, das Leben / so da bestehet in der Betrachtung derer Dinge / dadurch der Verstand deß Menschen zu seiner Vollkommenheit gelangen kan / und activa oder das Leben / so im Thun bestehet. In der Mitte dieser unser beyder Leben / muß Christus seyn. Den müssen wir das Ziel seyn lassen aller unser Betrachtung / Wissenschafft und Erkäntniß. Denn was würde es uns helffen / wenn wir gleich die Erkentniß aller anderer Dinge erhalten / aber Mangel hätten an dem Erkentniß Christi / darin unsere Gerechtigkeit bestehet / bey dem Propheten Esaia am 53. und Esa. 53/11.
das ewige Leben / Johannis am 17. Cap. Es haben auch die Welt- Joh. 17/3.
weisen unter den Heiden viel erkant / sie haben gar tieffsinnig urtheilen können von dem Lauff deß Himmels / der Sonnen / deß Monden / der Sternen / auch andere Geheimnisse so wol deß Himmels als der untern Welt auffs genaueste erforschet / aber alle solch Erkäntniß ist eitel gewesen / und hat ihnen zur Seligkeit nicht dienen können / weil es ihnen gemangelt hat an der Erkentniß Christi / ausser welchem kein Heil / keine Seeligkeit ist / weßwegen auch Paulus nichts mehr begehret zuwissen als allein JEsum Christ / in der ersten an die Corinther am 1. Cor. 2/12.
3. achtet er alles (z) wie nichts / und gleich dem Koth uñ Kericht / Phil. 3/8.
oder andern verworffenen Dingen / ja für Schaden gegen den überschwencklichen Reichthumb der Erkäntniß Christi. Nicht minder müssen wir auch den Zweck alles unseres Thuns Christum seyn lassen. Aller was wir thun mit Worten oder mit Wercken / Col. 3/17.
das müssen wir thun in dem Namen und zur Ehre Christi. Es ist das Leben deß Menschen so im Thun bestehet / mancherley nach dem unterscheid deß Zwecks / wohin dasselbe gerichtet ist / der aber ist fürnemlich vielerley / wie Aristoteles in dem 1. Buch Ethicorũ anmercket. Denn etliche streben nach der Tugend und richten dahin alle jre Wercke uñ verrichtungẽ / etliche nach Ehre / etliche trachtẽ nach Wollust / etliche

aber nach Reichthumb / also/ daß sie vermeinen/ daß sie recht glückselig seyn/ wenn ihre Kammern einen Schatz nach dem andern vorgeben können / aber das alles haben wir zu suchen in CHristo / wenn wir die rechte wahre Seeligkeit erhalten wollen. Dahin müssen gerichtet seyn
Phil. 4/8. alle Tugenden/ was warhafftig ist/ was erbar/ was gerecht/ was keusch/ was lieblich/ was wol lautet und so etwa eine Tugend und ein Lob ist/ dem müssen wir nachdencken und uns dessen befleissigen / aber zu dem Ende/ damit wir Christi so vielmehr geniessen und beständige Gemeinschafft mit ihm haben mögen. Sonst kan die Tugend uns zwar nützlich seyn zu der Glückseligkeit dieses Lebens/ aber uns nicht beförderlich seyn zu der Niessung der Seeligkeit deß andern ewigen Lebens. Christum müssen wir auch allein unsere Ehr und Ruhm seyn lassen/ daß wenn wir etwas gutes gethan oder erlanget haben,/ wir nicht uns / sondern ihm die Ehre geben / denn er ist die Quelle / daraus alles gute zu uns herab fliesset. Ein Weiser muß sich nicht rühmen seiner Weißheit/ ein starcker nicht seiner Stärcke / ein reicher nicht seines Reichthumbs / sondern wer sich rühmen wil der muß sich deß rühmen / daß er den HErren wisse und kenne/ der Barmhertzigkeit/ Gericht und Gerechtigkeit übet auff Erden/ denn solches gefället ihm/
Jerem. 9/24. aus dem Jeremia am 9 Capittel. Weiter müssen wir auch Christum unsere einige Lust und Freude/ seyn lassen / daß wir in ihm allein unsere Ergetzung und Vergnügung suchen nach der Ermahnung Davids: Habe deine Lust an dem HErren / der wird dir geben was
Psal 37/ 4. dein Hertz wünschet / aus dem 37. Psalm. Du erfreuest mein Hertz ob jene/ die Gottlosen/ gleich viel Wein und Korn haben/ muß ein jeglicher unter uns mit dem hocherleuchteten Könige
Psal. 4/8. Psal. 72/28. sagen aus dem 4. Psalm / und weiter aus dem 72. Psalm. Das ist meine Freude/ daß ich mich zu GOtt halte und meine Zuversicht setze auff den HErren HErren. Auch müssen wir ihm

seyn

seyn lassen / unsern **Schatz und Reichthumb.** Denn alle andere Schätze sind vergänglich / die entweder von Motten und dem Rost gefressen oder von Dieben geraubet werden / und können folgends unser Seele nicht vergnügen / die unvergänglich ist / Christus aber ist unsers **Hertzens Theil und Trost /** der vollkömmlich das Verlangen und Begierde unserer Seelen stillen kan / deßwegen müssen wir in ihm allein unsern Reichtrumb suchen und unser Hertz auch folgends beständig bey ihm seyn lassen / wie er auch selbst sagt: **Samlet euch Schätze im Himmel so keine Motten noch Rost fressen und da die Diebe nicht nachgraben noch stehlen / denn wo euer Schatz ist / da ist auch euer Hertz /** bey dem Matthæo am 6. Cap. Ausser diesen beyden Leben aber sind noch zween andere Leben in dem Menschen / die er mit einigen andern Dingen gemein hat / nemlich vegetativa und sensitiva, das Leben / so in der Nahrung und Wachßthum bestehet / welches ihm gemein ist mit den Bäumen / Kräutern und anderm Erdgewächß / und das Leben der Sinnen / darinn er Gemeinschafft hat mit den unvernünfftigen Thieren. Beydes Lebens sind theilhafftig alle eigentlich genante Gliedmassen deß Menschen / denn sie werden alle ernehret / und nehmen bald zu / bald abe / sie sind auch alle der Sinnen / zum wenigsten deß Fühlens / fähig. Aber auch in der Mitte **dieser beyder Leben** soll in uns Christus seyn. Es ist in der Mitte deß Leibes deß Menschen das (Aa) **Hertz /** dasselbe müssen wir Christo zueigen geben / daß er darinnen seinen Sitz und Wohnung / sein Werck und Wesen habe / denn das ist es / was er von uns erfodert in den Sprüchwörtern Salomonis am 23. Cap. **Gib mir / mein Sohn / dein Hertz / und laß deinen Augen meine Wege wolgefallen.** Ihm müssen wir uns mit Leib und Seel zu eigen geben / ihm müssen wir anhangen mit gantzem Hertzen durch den Glauben / der durch die Liebe thätig ist / daß wir auch unser machen die Wort deß Apostels Pauli: **Ich lebe / doch nicht ich / sondern Christus lebet in mir / denn was ich jetzt lebe im Fleisch / das lebe ich in dem Glauben deß**

Matt. 6/20. 21.

Prov. 23/26.

Sohnes Gottes/ in der Epistel an die Galater am 2. Cap. Ihn habe ich in mein Hertz geschlossen/ nach ihm stehet all mein Verlangen/ ihm lebe ich/ ihm sterbe ich/ sein bin ich tod und lebendig. So hatte Christum in der Mitte seines Lebens der H. Genesius welchen Diocletianus der grausame Wüterich/ auffs greulichste martern ließ/ damit er ihn von Christo abwendig machen möchte/ aber er konte solches nicht ins Werck richten/ Genesius spottete vielmehr sein/ und sagte: Non est Deus præter Christum, pro quo si millies occidar ipsum tamen de ore, ipsum mihi de corde aufferre non poteris, wie in seinem Leben gemeldet wird/ Ich erkenne keinen GOtt ausser Christo/ umb weßwillen wenn ich gleich tausendmal solte getödtet werden/ so wirstu mir doch denselben weder aus meinem Munde noch aus meinem Hertzen reissen können. Weder Tod/ noch Leben/ sagte er gleichsam mit Paulo aus der Epistel an die Römer am 8. Cap. weder Engel noch Fürstenthumb/ noch Gewalt/ weder gegenwärtiges noch Zukünfftiges/ weder hohes noch tieffes/ noch keine andere Creatur soll uns scheiden von der Liebe GOttes/ die in Christo JEsu ist meinem HErren. So war auch gesonnen die H. Agatha/ eine gottselige Jungfrau/ die sich auch/ da Quintianus der Landpfleger in Sicilien sich bemühete sie von Christo abzuwenden/ verlauten ließ: Ego ita fundata & firmata sum in amore Domini mei Jesu, ut per ipsius gratiam confidam quod prius soli deficiet lux sua, igni calor, nivi albedo, quam ego mutem meam voluntatem, Ich bin so gegründet und befestiget in der Liebe meines HErren Jesu/ daß ich durch seine Gnade die unbewegliche Zuversicht habe/ es werde eher der Sonnen das Liecht/ dem Feuer die Wärme/ dem Schnee die weisse Farbe entgehen/ denn daß ich meinen Willen ändern solte. Und weiter sprach sie: Ego extra Christum nec vitam, nec salutem, nec quid aliud opto aut desidero, nec cerva fessa & sitibunda est, quæ ita desideret limpidam aquam, atque

Rom. 8/38. 39.

atque ego desidero & sitio tormenta, ut per ea Christum meum amplectar eique uniar, **Ich begehre ausser Christo kein Leben/ noch Heyl/ und wüntsche auch sonst nichts ausser ihm/ kan auch keine Hindin/ wenn sie gleich noch so müd und dürstig ist/ sich so sehnen nach frischem Wasser/ als ich die Pein und Marter begehre/ daß ich dadurch meinen Christum ergreiffen und ihm vereinigt werden möge.**

Wollen wir aber Christum beständig mitten in uns beydes im Leben und im Tode haben/ so müssen wir auch so unser Leben anstellen/ daß wir ihm gefallen können/ es muß unser Leben nicht allein zu ihm gerichtet/ sondern auch nach seinem Leben und Wandel eingerichtet seyn. **Denn wer da saget: daß er in ihm bleibet/ der muß auch so wandelen/ gleich wie er gewandelt hat/** in der ersten Epistel Jo- Joh. 2/ 6.
hannis am 2. Cap. So hat aber Christus seinen Wandel geführet/ daß er die **Mitte** in seinem gantzen Leben gehalten. Es hat auch die Welt ihr Leben/ und zwar auch ein zwiefaches Leben/ derer eines bestehet im Überfluß/ das ander im Mangel. Denn so stellen die Weltkinder ihr Leben an/ daß sie allewege der Sachen/ darin sie begriffen sind/ entweder zu viel oder zu wenig thun/ welches nicht zuverwundern ist/ alldieweil 1. Joh. 5/ 19.
die Welt im Argen liegt/ das ist/ in der Sünde gar ersoffen ist/ die allewege von der Mitte oder von der Maaß abführet. Es überschreitet die Maaß ein Verschwender/ denn er gibt mehr als er geben soll/ und denen welchen er nicht geben soll/ oder auch zu dem Ende/ zu welchem er nicht geben soll/ ein karger hingegen gibt entweder gar nichts oder nicht so viel als er geben soll/ oder nicht zu dem Ende/ zu welchem er geben soll/ und so weiter. Aber Christus ist in der Mitte auch dieser beyder Leben offenbahret worden. Denn wie er alles erschaffen hat **in gewisser** Sap. 11/ 22.
Maaß/ nach der Aussagung deß weisen Mannes aus seinem Buch am 11. Cap. Also hat er auch die Maaß in acht genommen in seinem gantzen Leben/ welches nichts anders war/ als ein Muster aller Tugenden/ welche/ wie gar wol Pythagoras und Aristoteles gelehret/ in der (bb) Mitte bestehen. **Er hat** uns aber darin **ein Beyspiel** hin-

1. Petr. 2/21. terlassen/ daß wir nachfolgen solten seinen Fußtapffen. Darumb wil auch uns obliegen die Maaß in allen unsern Wercken/ Worten und Geberden zuhalten. Denn die Maaß ist allezeit das beste. Multa insunt mediis bona, sagt abermal Pythagoras, Viel gutes ist in der Mitte zufinden. Und Phocylides schreibet in seinem Carmine. Omnium modus optimus, (cc) Das beste in allen Dingen ist die Maaß oder das Mittel. Weßwegen auch der weise Mann Gott bittet/ daß er seine Weißheit von seinem Thron senden wolle und durch die ihn mässiglich leiten in seinen Wercken/ damit dieselbe ihm angenehm seyn könten/ in dem Buch der Weißheit am 9.
Sap. 9/11, 12 Cap. Es ist uns aber daran nicht wenig hinderlich unser Fleisch/ welches im̃erdar den Irrweg wil und bald zur rechten/ bald zur lincken außschreitet/ die rechte Mittelstrasse aber/ welche die rechte königliche Strasse ist/ nicht treffen kan/ darumb müssen wir uns hüten daß wir den Lüsten dessen in uns keinen Raum geben/ sondern denselben allezeit gebührend widerstehen/ damit sie nicht in Sünde wider das Gewissen außbrechen/ welches ist das Leben/ das Christus von uns erfodert/ so in der Mitte ist zwischen dem Leben deß ersten Menschen/ und dem Leben Christi deß HErren selbst/ als deß andern Adams. Denn so lang der erste Mensch im Stand der Unschuld war/ war in ihm (dd) wircklich keine sündliche Lust/ aber dannoch hat es mit ihm eine solche Beschaffenheit/ daß er sich deß bösen konte gelüsten lassen/ wenn er wolte/ welches er auch hernach gethan/ da er Lust bekam zu essen/ von der Frucht deß Baumes deß Erkentniß gutes und bösen/ davon ihm Gott zu essen verbotten hatte. Christus aber ist so frey von aller sündlichen Lust/ daß er sich auch deß bösen nicht können gelüsten lassen/ weil er den H. Geist nicht nach dem Maaß/ sondern ohn alle Maaß empfangen hatte/ und wirds dermaleins eine solche Bewandniß haben auch mit den Außerwehlten Christi in dem andern ewigen Leben. Aber in diesem Leben sind die/ welche durch den Geist Christi geheiliget und wiedergebohren sind/ gleichsam in der Mitte. Denn so lang sie leben/ sind sie nicht frey von der bösen Lust/ die sich noch immerdar in ihnen reget
Rom. 7/18. und sie zur Sünde reitzet/ daß sie sagen müssen mit Paulo: Ich weiß

weiß/ daß in mir/ das ist/ in meinem Fleische wohnet nichts gutes. Und weiter: Ich finde in meinen Gliedern ein Gesetz/ das da widerstrebet dem Gesetz in meinem Gemüth. Aber dennoch können sie durch die Krafft deß Geistes/ den sie in der Wiedergeburt empfangen haben/ den Reitzungen der sündlichen Lust widerstehen/ daß sie die Herrschafft in ihnen nicht ergreiffe. Und das ist es allein/ welches der HErr in der Unvolkommenheit dieses Lebens von ihnen erheischet. Denn er erfordert von ihnen nicht/ daß sie in diesem Leben gar ohne Sünde seyn sollen/ welches unmöglich ist/ also daß auch die Allerheiligste sagen müssen mit Johanne: So wir sagen/ wir haben keine Sünde/ so verführen wir uns selbst/ und die Warheit ist nicht in uns/ aus der ersten Epistel am 1. Cap. sondern das begehret er allein/ daß sie die Sünde nicht sollen herrschen lassen in ihrem sterblichem Leibe ihr unterthan zu seyn nach jren Lüsten/ aus der Epistel an die Römer am 6. daß sie dem sündlichen Fleisch nicht seinen Willen lassen/ sondern es beteuben und creutzigen sampt seinen Lüsten und Begierden/ in der Epistel an die Galater am 5. Capittel. Selig werden wir zu preisen seyn/ wenn wir diesem nachkommen/ denn/ so wird Christus beständig bey uns seyn/ und wir werden dermaleins/ wenn er kommen wird in der Mitte deß Lebens und deß Todes/ oder deß seeligen und unseligen Lebens/ so er zur Belohnung deß Menschen nach ihren Wercken ertheilen wird/ nicht seyn unter denen/ welche ewig in der Höllen leben werden/ daß sie ewig sterben/ sondern unter denen/ die mit Christo und allen Außerwehlten in dem Lande der Lebendigen werden wandeln und seiner Herrligkeit geniessen immer und ewiglich/ Das verleih uns allen GOTT der himmlische Vater durch seinen allerliebsten Sohn JEsum Christum unsern Heyland/ welchem sampt dem Vatter und dem H. Geist sey Preiß und Ehr/ Macht und Gewalt/ jetzt und in Ewigkeit/ AMEN.

1. Joh. 1/8.

Rom. 6/12.

Gal. 5/11.

NO-

NOTÆ PHILOLOGICÆ
ad Concionem ſecundam.

(A) Hilarius Pictavienſis in hunc Pſalmum: *Non occultus hic Rex eſt: hunc lex prædicat, hunc Prophetæ pollicentur, hunc Joannes pœnitentiæ prædicator oſtendit. Ille eſt enim ſecundum Domini in Evangelio dictum lucerna ardens, Chriſtum tenebris mundi hujus oſtendens.* Auguſtinus quoque: *Quæ eſt lucerna. Jam noſtis Domini verba de Joanne: Ille erat lucerna ardens & lucens.* Auctor Comm. in Pſalmos apud Hieronymum: *Joannes Baptiſta ſive præcurſor Domini & Salvatoris noſtri à Deo Patre dicitur præparata lucerna: quia eum in hujus mundi tenebras venturum annunciavit: Sic enim & ipſe Dominus vocitat eum, dicens: Ille erat lucerna ardens.* Proſper Aquitanicus ad eundem Pſalmum: *Paravi lucernam Chriſto meo, id eſt, præmiſi ante ipſum Prophetiam, cujus lumine uterentur, qui erant in ignorantiæ tenebris conſtituti. Unde & beatus Petrus Apoſtolus dicit: Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis, intendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginſo loco. Et ipſe Dominus ait de Baptiſta Joanne: Ille erat lucerna ardens & lucens.*

(b) *Cum dicit, in natis mulierum, diſtinguit & ſeparat ſe ab hâc comparatione,* ſcribit Chryſoſtomus homil. 38. in Matthæum. *Etſi enim,* pergit, *ex muliere natus eſt, non tamen natus eſt ſicut Joannes, nec omninò naturæ hominum lege, ſed inaudito quodam ac mirabili partu.* Titus Catenâ Græcorũ P P. in Lucam à Corderio luce & latinitate donatâ: *Cõſidera dicti hujus accurationẽ. Major, inquit, inter natos mulierũ, ut exciperet virginẽ, & ſegregaret ab illis, quæ naturaliter pariunt, illam, quæ ſupernaturaliter peperit.* Chriſtianus Druthmarus cognomento Grammaticus c. 29. Comm, in Matth. *Non eſt putandũ Domino Jeſu Chriſto, illum eſſe cõparatũ, quia Dominus noſter nõ de muliere, ſed de virgine natus eſt.* Theophylactus: *Dicens, mulierum, ſeipſum excepit. Chriſtus enim à virgine natus eſt, non muliere, quæ virum paſſa.* Anshelmus: *Inter natos mulierum, inquit, non virginum: Mulieres enim propriè vocantur corruptæ. Non ideò ergò Chriſtus major eſſe negatur, quia non natus mulieris, ſed virginis eſſe cognoſcitur. Si autem Maria muliër aliquando in Evangelio nuncupatur, ſciendum eſt interpretem mulierem pro fœmina poſuiſſe, ſicut ibi: Quid mihi & tibi eſt mulier?*

(c) *Quis poterit cogitare,* ſcribit Hieronymus in Comm. ad h. locum, *diem adventus ejus? Si cogitare præ potentià majeſtatis ejus nemo poteſt, ferre quis poterit? Et quis ſtabit ad videndum eum, hoc eſt, quis poterit eum lippientibus & cæcutientibus oculis in ſua claritate conſpicere, qui eſt Sol juſtitiæ, & in cujus pennis eſt ſanitas? Ipſe veniet, quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. Ignis enim in conſpectu ejus ardebit, & in circuitu tempeſtas valida.* Cyrillus Alexandrinus in Comm. *Diligentibus quidem manifeſtationem ejus, minimè oneroſus* Deus in carne manifeſtatus, *quin imò clemens & manſuetus fuit, & vitam æternam illis inpertivit. At ſalutem per ipſum adipiſcendam aſpernantibus, purgationemque per fidem reijcientibus, omnium malorum fœdiſſima perpeti contigit. Perierunt enim miſeri. Quare etiam Judæorum turbis dicebat: Amen dico vobis, niſi credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccatis veſtris. Incredulis ergò tempus introitus & viſionis ejus intolerabile & parum ferendum*

dum accidit. Remigius Allisiodorensis: *Cum quanta gloria & majestate venturus sit si nemo potest cogitare, quis poterit stare? Ipse enim quasi ignis conflans & peccatores exurens.* Rupertus Tuitiensis: *Quis stabit ad videndum eum?- Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, id est, ignem mittens in terram, scilicet Spiritum sanctum qui consumet incredulos, velut ignis conflabrum, credentes autem velut herba fullonum emundabit gratiâ remissionis peccatorum.*

(d) Origenes homil. 16. in Lucam. *Congregemus in unum ea, quæ in ortu Jesu dicta scriptaq; sunt de eo, & tunc scire poterimus singula quæq; digna esse admiratione. Quamobrem mirabatur & Pater (sic enim appellatus est Joseph, quia nutritius fuit) mirabatur & mater super omnibus, quæ dicebantur de eo. Quænam ergò sunt, quæ de parvulo Jesu fama dispersérat? Pastores erant in regione illâ vigilantes & observantes custodias noctis super gregem suum, venit Angelus sub ipsâ horâ nativitatis Jesu, & ait ad eos: Annuncio vobis gaudium magnum: Ite & invenietis &c. Nec dum Angelus verba finierat, & ecce multitudo cœlestis exercitus laudare cœpit, & benedicere Deum. Cum hoc Pastores trepidi perspexissent, & Angelus recessisset ab eis, dixerunt ad invicem: Eamus Bethlehem & videamus factum, quod Dominus ostendit nobis. Venerunt & invenerunt parvulum. Tam illi, quàm parentes videntes quæ facta fuerant, admirabantur super hoc. Et de Simeone scribitur, quod rumorem auxerit miraculi, vel magna pars fuerit, tenuitq; puerum in brachiis suis, & ait: Nunc dimittis, Domine, servum tuum. -Fastigium super his, quæ jactabantur de Jesu, & pater & mater ejus mirabantur, sermo Simeonis fuit. Non enim sufficit ei tenere parvulum, & ea, quæ de semetipso scripta sunt, proloqui, sed benedixit patri illius & matri, & de ipso quoq; infante prophetavit.* Et homil. 17. *Admirabantur pater & mater illius, super his, quæ dicebantur de eo tàm ab Angelo, quam multitudine cœlestis exercitus nec non à pastoribus: omnia quippe hæc audientes vehementissimè mirabantur.* Euthymius cap. 3. Comm. in Lucam. *Mirabantur, non quod tunc primum de illo audissent, sed quod præter ea, quæ prius didicerant, adhuc mirabiliora percipiebant.*

(e) Unde Cyprianus serm. de Nativ. Christi: *O Domine, quàm admirabile est nomen tuum! verè tu es Deus, qui facis mirabilia. Non modo mundi hujus staturam admiror, non stabilitatem terræ, cum eam complectatur volubile firmamentũ, non singulos dies, non Lunæ defectum & incrementum-: miror Deum in utero virginis, miror omnipotentem in cunabilis, miror quomodo verbo Dei caro adhæserit, quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit; miror in hac dispensatione tanti dispendia temporis & tam lentis processus ad obedientiam Salvatoris.- In cæteris quocunque modo aliquæ satisfaciunt rationes; hic solus me complectitur stupor.* Et Gregorius Nyssenus Orat. in diem Natalem Christi: *O rem admirandam! Virgo mater efficitur, & permanet virgo. Cernis novum naturæ ordinem? In aliis mulieribus quamdiu aliqua est virgo, non est mater. Nam posteaquam est facta mater, virginitatẽ non habet. Hic autem utrumq; nomen in idem concurrit.* Augustinus serm. 5. de tempore, qui est primus in festo Nativitatis Christi: *Salvator noster natus de Patre sine die, per quẽ factus est omnis dies, voluit in terrâ habere natalẽ hunc diẽ quẽ hodie celebramus: Quisquis hũc diẽ miraris, æternũ mirare potius ãte omnẽ diẽ permanentẽ, omnẽ diẽ creantẽ in die hodierno*

naſcentem, à malitiâ diei liberantem. Adhuc mirare, Quæ peperit, & mater & virgo eſt. Et ſerm. 12. qui eſt octavus in Natali Domini: *Filius Dei idemq́ Filius hominis Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſine matre de patre natus, creavit omnem diem, ſine Patre de matre natus conſecravit hunc diem, divina nativitate inviſibilis, humanâ viſibilis, utraque mirabilis. Proinde, quod de illo propheta prædixit, Generationem ejus quis enarrabit? de qua potius dictum ſit, judicare difficile eſt. –Quis enim enarrabit, quomodo natum ſit lumen de lumine, & unum lumen utrumque ſit: quomodo natus ſit Deus de Deo, nec Deorum numerus creverit: quomodo velut de re tranſacta dicatur, quod natus eſt, cum tempus in illa nativitate nec tranſierit quo præterita eſſet; nec præſens fuerit, quaſi adhuc fieret, & perfecta non eſſet? –Iſtam quoque ex virgine generationem quis enarrabit, cujus conceptus in carne non carnaliter factus, cujus ortus ex carne ubertatem nutrienti attulit, integritatem parienti non abſtulit.* Euſebius Emiſſenus in Natal. Domini: *Quid primum mirer, quidve poſtremum? quod ſine conceptu collata eſt fœcunditas? aut quod per partum magis glorificata virginitas? creator ex creatura naſcitur.* Leo Magnus ſerm. 3. in ſolennitate Nativitatis Chriſti: *Ingreditur hæc infima Jeſus Chriſtus Dominus noſter, de cœleſti ſede deſcendens, & à paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine quia inviſibilis in ſuis, viſibilis factus eſt in noſtris. Incomprehenſibilis voluit comprehendi. Ante tempora manens, eſſe cœpit ex tempore. Univerſitatis Dominus ſervilem formam obumbrata majeſtatis ſuæ dignitate ſuſcepit. Impaſſibilis Deus non dedignatus eſt homo eſſe paſſibilis, & immortalis, mortis legibus ſubjacere. Nova autem nativitate genitus eſt, conceptus à virgine, natus ex virgine, ſine paternæ carnis concupiſcentiâ, ſine maternæ integritatis injuria.* Bernardus ſerm. 3. in vigilia Nativitatis Domini. *Tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa Majeſtas in aſſumptione noſtræ carnis, ita ſingulariter mirabilia, & mirabiliter ſingularia, ut talia nec facta ſint, nec facienda ſint amplius ſuper terram. Conjuncta quippe ſunt invicem Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanum. Admirabiles iſtæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tàm diverſa, tamque diviſa ab invicem, invicem potuerint conjungi.* Denique & jam ante Bernardum Petrus Domiani ſerm. 61. in Nativitate Domini habito: *Quis dignè* nativitatem ſervatoris *mirari valeat? Quis non obſtupeſcat, quod is, qui cœli immenſitate non capitur, in anguſto præſepio reclinatur? Qui electos ſuos ſtola immortalitatis induit, vilibus pannis contegi non contempſit. In ſtramine recubuit animalium, qui cibus eſt Angelorum. Qui navium procellas mitigat, qui aquarum abundantiam fluminibus ſubminiſtrat, raras de virgineo pectore guttas lactis expectat. Exprimitur lac ex uberibus virginis, & in carnem vertitur Salvatoris. Felix iſta puerpera, quæ ſic gaudet de fœcunditate prolis, ut nequaquam doleat de amiſſione virginitatis: quæ illum fovebat, à quo fovebatur: illum in ulnis geſtabat, à quo totius mundi machina continetur: ſtringitur à matre puerilibus faſciis infantulus, qui cum patre omnium rerum jura gubernat immenſus.*

(f) Tradunt haud pauci Judæorum, non fuiſſe codicem V. T. exaratum à Scriptoribus ſacris literis, quibus eum hodie habemus deſcriptum, quas certum eſt eaſdem eſſe cum Chaldæ , ſed iis, quas Samaritanas modò appellamus: Eſdram autem Chaldaicis eum deſcribi curaſſe, atque priores iſtas Samaritanis reliquiſſe. Cum enim rex Salmanaſſer deportatis in

Aſſyriam & Mediam Iſraelitis, novos ex variis Imperii ſui partibus colonos in iſtorum locum in Samariam miſiſſet, illi verò, eò quod non timerent Deum Iſraelis, à leonibus infeſtarentur, rex curabat ad eos mitti aliquem ex Sacerdotibus Iſraelitis, qui eos doceret rationem cultus, quo coli vellet Deus ejus terræ 2. Reg. 17. 26. 27. Jam dubium non eſt, quin Sacerdos ille legem, ex quâ erudiendi erant, ſecum attulerit haud aliis deſcriptum literis, quàm quæ hactenus Iſraelitis fuerant in uſu. Tam brevi enim temporis intervallo, quod inter translationem Iſraelitarum & Sacerdotis ad novos iſtos colonos miſſionem interceſſit, aliis characteribus ſacer codex haud poterat deſcribi. Ab eo itaque tempore Samaritani antiquis Hebræorum literis, ſaltem in deſcribendâ lege, fuere uſi. Iſraelitæ interea in captivitate Aſſyriis aſſuefiebant literis, prioribus tandem vulgò veluti obliteratis, ita ut, captivitate ſolutâ, in illis legem tradere, ipſis promiſcue Eſras non conveniens eſſe putaret. Adhæc erant capitales inter Judæos & Samaritanos inimicitiæ, adeò, ut qui ex iſtis cum Samaritano vel panem ſolùm comederet, eodem loco haberetur, ac ſi carnem porcinam comediſſet. Ex quo & Joannes c. 4, 9. ὀ συγχρῶνται Ιυδαῖοι Σαμαρείταις, *nullum commercium habent Judæi cum Samaritanis*, neque cibum ſumunt cum iis. Ut ergò tantò magis ſe nihil cum iis, commune habere teſtarentur, ipſas etiam literas ſuas antiquas, quas uſurpabant tum Samaritani, iis relinquebant, ipſi Aſſyriacis, quibus inoleverunt, utentes. Ita memorant Talmud Hieroſolymitanum tract. Meghilla ſect. 1. *Aſſyria eſt ei ſcriptura, ſed non eſt ei lingua. Hebræa eſt ei lingua, ſed non eſt ei ſcriptura. Elegerunt illi ſcripturam Aſſyriacam, & linguam Hebræam. Quare autem vocatur Aſſyria, quia character ejus excellens eſt, & ornatus. Dixit R. Levi, eò quod aſcendit per manum eorum de Aſſyriâ. Docuit R. Joſe dicens, dignus erat Eſdras, per cujus manum daretur lex, niſi præceſſiſſet eum ſeculum Moſis. Quanquam autem non ſit data lex per manum ejus, tamen data eſt Scriptura & lingua per manum ejus.* Idem habetur in Talmud Babylonico Tract. Sanhedrim ſect. 2. *Dixit Marzuthra etiam & Marlkeba: Initiò data eſt lex Iſraeliticis ſcriptura Hebraica, & lingua ſancta. Deinde data eſt illis tempore Eſræ in ſcriptura Aſſyrica & lingua Syriaca. Peculiariter autem ſibi Iſraelitæ elegerunt ſcripturam Aſſyriacam & linguam ſanctam: ſcriptura verò Hebraica & lingua Syriaca relicta eſt idiotis*, id eſt, ut R. Chaſda ibidem ſtatim exponit, *Chutæis* ſeu Samaritanis. Conſona his tradunt R. Samuel Japhe citatus à Johanne Euſebio Nierembergio lib. 4. de Origin. ſanctæ Scripturæ c. 11. R. Juda laudatus ab Athanaſio Kirchero in Oedipo Tom. 2. Claſſe 2. diſq. 3. R. Joſeph Albus in libb. Ikkarim ſ. de fundamentis fidei adductus à Joſepho de Voiſin in proœmio Pugioni fidei Raymundi Martini præfixo f. 86. & Briano Waltino Proleg. Bibl. 3. n. 32. R. Moſes Ægyptius, quem & ipſum nominat Nierembergius nec non Joannes de Eſperies Tract. 1. de textu Hebr. diſp. 1. de Bibl. Hebr. dub. 2. aliique plures. Sed & veteres Eccleſiæ Doctores idem confirmant. Sic enim Euſebius in Chronico ad annum mundi 4740. *Fuit Eſdras eruditiſſimus legis divinæ & clarus omnium Judæorum magiſter, qui de captivitate regreſſi fuerunt in Judæam: affirmaturq; divinas ſcripturas memoriter condidiſſe, & ut Samaritanis non miſcerentur, literas Judaicas commutaſſe.* Et Hieronymus in Prologo Galeato in 1. Reg. *Samaritani Pentateuchum Moyſi totidem literis ſcriptitant, figuris tantum & apicibus diſcrepantes. Certum*

tum est, Esdram scribam, legisq; doctorem, post captam Hierosolymam & instaurationem templi sub Zorababale alias literas reperisse, quibus nunc utimur, cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. --Et nomen Domini tetragrammaton in quibusdam græcis voluminibus usque hodie antiquis literis expressum invenimus. Idem repetit & Beda in Esdram, item Rupertus lib. 7. de victoriâ Dei c. 32. Atque hinc & in nummis Hebræis antiquis seu siclis argenteis ante captivitatem adhuc cusis literæ apparent Samaritanæ, qua de re legi possunt Moses Gerundensis, Maimonides apud Drusium ad difficil. loca Exodi c. 57. Beza in c. 17. Matth. v, 24. Andreas Masius in cap. 7. Josuæ. Arias Montanus in Apparatu lib. Tubalcain, Guilielmus Postellus lib. de duodecim linguis, Athanas. Kircherus l. c. Gasparus Schottus in Technica curiosa lib. 12, c. 6. Villalpaldus in Apparatu ad templum, Morinus Exercit. in Pentateuchum Casparus Waserus lib. 2. de antiquis nummis Hebræorum c. 3. & alii plures. Jam autem in scriptura Samaritana nullæ punctorum vocalium figuræ occurrunt. Habemus adhuc Pentateuchum Samaritanum, sed sine apiculis istis. Extant & alii manuscripti Samaritanorum libri, sed neque in iis illa punctorum istorum vestigia uspiam apparent: quemadmodum nec in antiquis illis nummis, quorum paulò antè fecimus mentionem, sed nec in illo characterum Samaritanorum specimine, quod in Samaritanorum computo Paschali exhibet Josephus Scaliger in opere de emendat. temporum. Constat insuper, LXX. interpretes codice punctatio non fuisse usos, non solum ex nominibus propriis, quorum paucissima eodem modo apud illos ita exprimuntur, ac expressa illa hodie in codice Masoretharum invenimus, veluti pro, *Chauuah*, quod in codice hoc occurrit Gen. 3, 19. LXX. habent εὔα, & quem in *Enoch* vocant, illi *Chanoch* appellant Gen. 5, 21. quemque illi *Noe*, hi *Noach* Gen. 5, 32. & quem illi Ισαὰκ, hi *Ischac* Gen. 21, 3. sed & ex aliis vocibus. Veluti in codice Masorethico Gen. 47. ult. hodie legimus: *Et incurvavit se Israel super caput*, הַמִּטָּה, hamitta *lecti* Ast LXX. transtulerunt: *Et adoravit* Israel, ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ *ad summitatem virgæ ejus*, legentes sine dubio הַמַּטֶּה hamatte. Pariter Psal. 64. 7. pro eo, quod 5. Masorethæ legunt וְקֶרֶב אִישׁ, vekeru isch, *medium hominis*, id est intimum uniuscujusque *& cor perfundum*; LXX. legerunt יִקְרַב ijkrau, προσελεύσεται, *accedet homo & cor altum.* Ulterius Habacuc 3, 6. pro דֶּבֶר quod habet codex Masorethicus, *deber*, ante faciem ejus ivit pestis aut mors. LXX legerunt דָּבָר, *dabar*, *verbum.* Et pro eo quod Oseæ 9, 1. dicitur in Masorethico codice *Noli lætare Israel*, אֶל, *ad exultationem*, LXX. legerunt אַל, *non* Sic enim illi transtulerunt: Μηδὲ εὐφραίνου καθὼς οἱ λαοὶ *nec lætare, sicut populi*, quomodo & Chaldæus, Syrus item & alii legerunt. Plura talia in Criticâ sua sacra collegit Ludovicus Capellus. Sed nec Patres quicquam sciverunt de punctis. Origenes sanè, qui vix totis centum annis à Joanne Evangelistâ floruit & diligentissimus fuit inquisitor Hebraicæ veritatis, à diligentia χαλκέντερος æreus & Adamantinus dictus, auctorque insuper Hexaplῶν, in quibus præter translationes Græcas LXX. Interpretum, Aquilæ, Symmachi & Theodotionis in quatuor distinctis columellis locatas, in aliâ columella textum Hebræum Hebraicis literis descriptum, in sexta verò columna eundem Græcis characteribus expressum exhibuit: est in iis ne minimum quidem vestigium apparuit punctorum. Epiphanius quoq; Hebrææ linguæ satis peritus fuit, sicut & passim verba ex codice Hebræo

bræo citat atque ad varias lectiones provocat, veluti dicti illius ex Psal. 109, 3. *Exultero ante*
luciferum genui te, hæref. 65. n. 4. item ad Hebræorum traditiones in Exposit. fidei n. 7.
sed & apud illum silentium altum est de punctis; Maximè omnium autem de Hebræa litera-
tura solicitus fuit Hieronymus, qui & Rabinos præceptores eo fine sibi conduxit, ut & lin-
guam & mysteria pariter Hebræorum addisceret, ceu ipsemet testatur Præfat. in Jobum &
libros Paralipomenon. Vertit quoque codicem sacrum ex Hebræo in Latinum & com-
mentariis illustravit, ac sæpius conqueritur de ambiguitate vocum, sed punctorum itidem
nullam plane facit mentionem, quin nulla adhuc ipsius ætate fuisse nobis colligere reliquit.
Consideremus aliqua apud eum loca, ut res eò clarior fiat. Sic ergo ille in Traditionibus
Hebraicis: *Licet iisdem literis & æstimatio scribatur, & hordeum, tamen æstimationes*
שערים *scarim, legitur, hordea vero* שערים *searim.* Hîc commodissimè adjicere potuisset
puncta si quæ tunc fuisset, sed nulla ibi leguntur, quemadmodum nec in istis, quæ eodem
libro occurrunt, verbis: *Pro pastore, amice legitur: sed verbum ambiguum est, quia iisdem*
literis utrumque nomen scribitur, Verum amicus רעה *Re, pastor* רעה *Roe legitur.* Ulterius
ad Esaiæ 26, 14. verba ista, perdidisti omnem memoriam eorum, ita scribit Hieronymus:
Nec terrere nos debet, quod LXX. masculum, & cæteri interpretes memoriam transtulerunt,
cum iisdem tribus literis כ *&* ר *utrumq; scribatur ad Hebræos, sed quando memoriale dicimus,*
legitur זכר *Zecher, quando masculum,* זכר *Zachar.* Et hâc verbi ambiguitate deceptum
arbitrari ait Judæos Saulem, quando pugnavit contra Amalec & interfecit omne masculi-
num eorum. Deo enim præcipiente, ut deleret omnem ejus memoriam sub cœlo, ille, (pro
memoria,) non tam errore, quam prædæ seductus cupiditate, masculos interpretatus est.
Porrò in Esaiæ 31. hæc idem Doctor habet verba: *Ignis & lumen Hebraicé iisdem scribun-*
tur literis אור *quod si Ur legatur ignem sonat, si Or, lucem.* Plura talia reperiuntur apud eun-
dem ad Jer. 9. 22. Oseæ 11, 10. c. 13, 3. Habacuc. 3, 4. & 5. Sophon. 3, 8. Atque hinc &
Lutherus ad Gen. 38. 12. expendens verba illa: *Juda ibat cum Pastoribus suis in Thimnath,*
in glossa marginali scribit: Mag auch heissen / Freund/ darnach die Puncta im Ebrei-
schen sich setzen lassen. Denn Juda hat ja müssen Weide haben/ vielleicht auch eines Freun-
des nicht gerathen mögen. Puncta können so wol fehlen als treffen/ ut Esa 7. & sæpe alias.
Et in præcedentibus ad c. 22. v. 14. verba ista, *Dominus videbit Ebræi dicunt, Dominus vi-*
debitur. Sed nos Hieronymum secuti Rabinos Grammaticos cum suis punctis & Cametz
hoc loco negligimus, & sine punctis dicimus, der HErr sihet/ das ist/ Gott sorget für alles
und wachet. *Etiamsi sensus ille, Dominus videbitur, sit pius valde quod Deus apparet, ubi*
verbum ejus docetur, quod Hebræi Grammatici non intelligunt Ebr. 6. 14. Sed & Warten-
bergenses Theologi in libro suo contra Schererum apertè scribunt; *Initio Biblica non ha-*
buerunt puncta vocalia. Et postea: *Si eo tempore, quo Latina translatio, quâ utimur facta*
est, habuissent puncta Biblica, non potuisset Latinus interpres in vocalibus quidquam mutare.
Ideoque non est, quod negotii quidquam cuiquam facessant puncta, cum vera in veteris Testa-
menti libris sententia quæritur.

(g) Unde Dionysius Alexandrinus apud Athanasium lib. de sentent. Dionysii contra
Arianos de Filio disserens: ζωὴ ἐκ ζωῆς ἐγεννήθη, *Vita ex vita genita est, & ut flumen à fonte,*

 deflu-

defluxit, & à luce inextinguibili, splendida lux accensa est. Et Athanasius ipse lib. 2. contra Arianos loca illa scripturæ, in quibus Deus dicitur fons vitæ, de Patre interpretatur: *Sed & id rursum consideremus, quod Deus fons sapientiæ & vitæ est & appellatur, quemadmodum per Hieremiam loqitur: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ. Atq; iterum: Thronus gloriæ excelsus, sanctificatio nostra, expectatio Israelis, Domine, omnes derelinquentes te confundantur: & qui defecerint, in terrâ scribantur, eò quod dereliquerunt Dominum fontem vitæ. In Baruch item: Relinquebatis fontem sapientiæ. Consentaneum igitur fuerit, vitam & sapientiam non habere alienam à fonte suo conditionem, sed eas æternas esse: neque unquam non existentes fuisse, sed à sempiterno subsistere. Quæ quidem res est ipse filius, qui dicit, Ego sum vita, & ego sapientia, habitans in consilio.*

(h) Sanctificantur fideles per ipsum Spiritum sanctum, quem Deus ipsis donat non secundum ἐνέργειαν solum sive dona sed et secundam ipsam substantiam, adeò ut hinc ipsius divinæ naturæ dicantur esse participes 2. Pet. 1, 4. Est enim ipse personalis Dei amor, ceu colligitur ex Rom. 5, 5. & Joh. 4, 17. collato cum v. 7. (Vid. Augustinus hîc lib. 15. de Trinit. c. 17.) indeque donum ex conditione personæ suæ donabile, & quidem primò. Charitas enim primum donum est, ac princeps & caput cæterorum, quæ donorum veniunt appellatione, adeò ut inimicorum dona hinc proverbio aliquo Græcis usitato, cujus apud Sophoclem in Ajace larvio, Euripidem item in Medea, nec non Zenobium Centur. 4. proverb. 4. & Diogenianum Centur. 4. prov. 82. & alios fit mentio, pro non donis habeantur, eò quod ex amore non procedant. Id autem, quod maximè nos sanctificet charitas est. Ex quo passim Patres præcipue Græci *virtutē sanctificandi* peculiari aliqua ratione Spiritui tribuunt sancto. Basilius sanè, lib. de Spiritu sancto c. 9. cum vocat ἁγιασμοῦ γένεσιν *originem sanctificationis.* Et c. 18. *substantiam vivam*, ἁγιασμοῦ κυρίαν *Dominam sanctificationis.* Rursus in Epist. ad Terentium Comitem, quæ est, 349. *hypostasin Spiritus* innuit spectari in *proprietate* τῆς ἁγιαστικῆς δυνάμεως, *virtutis sanctificantis.* Deinde & Eulogius Alexandrinus apud Photium cod. 230. *Filium* quidem vocat, *perfectricem Dei sapientiam*, *Spiritum sanctum* autem ἁγιαστικὴν δύναμιν, *virtutem sanctificatricem.* Cui consentit & Cyrillus Alexandrinus in Thesauro lib. 34. scribens: *Ipsam illam ex parte naturaliter procedentem vim sanctificandi*, τὴν ἰδίαν δύναμιν ἁγιαστικὴν, *quæ imperfectis id, quod perfectum est, tribuit, dicimus esse spiritum sanctum.* Sed & ante hos ambos Didymus Alexandrinus lib. 1. de Spiritu sancto hunc *substantiam* nominat *sanctificantem.* Denique & Augustinus in sermonibus novis collectis à Jacobo Sirmundo serm. 22. *Volebat* Servator *eos*, discipulos, *affectum habere divinum, atq; ita de carnalibus facere spirituales, quod non fit homo nisi dono spiritus sancti. Hoc ergò ait, Mitto vobis donum, quo efficiamini spirituales, donum scilicet Spiritus sancti.* Jam autem primum sanctificationis opus est ipsa vita spiritualis, quæ nobis confertur, collato Spiritu. Unde *in Spiritu vivere* dicuntur per Spiritum sanctificati Gal. 6, 1. Et Basilius lib. 3. adversus Eunomium ait: καὶ ἡ ζωὴ ἡμῖν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ διὰ Χριστοῦ ἐν ἁγίῳ πνεύματι χορηγεῖται. *Et ita nobis à Deo per Christum in sancto Spiritu præbetur.*

(i) Basilius homil. 1. in Hexaemeron in nomine *principii significationem* ait inesse *artificis Verbi, quod præfuit aspectabilium rerum ordinationi.* Et Ambrosius lib. 1. in Hexaemeron

meron c. 5. *In principio fecit Deus cœlum & terram. Factus est ergò mundus: & cœpit esse qui non erat. Verbum autem Dei in principio erat, & erat semper. Sed etiam Angeli, dominationes & potestates, etsi aliquando cœperunt, erant tamen jam, quando hic mundus est factus. Omnia namq́; creata & condita sunt, visibilia & invisibilia: omnia per ipsum facta sunt, & in ipso creata? Quia ipse est hæres Patris, eò quod à patre in ipsum transivit hæreditas. Egregie itaque Apostolus & hoc loco Filium dixit auctorem omnium, & majestate sua continentem omnia.* Augustinus lib. 1. de Genesi ad literam c. 2. *Secundum historiam quæritur, quid sit in principio temporis, an in principio, in ipsa sapientia Dei, quia & ipse Dei Filius principium se dixit, quando ei dictum est: Tu qui es, & dixit: Principium, quod & loquor vobis. Est enim principium sine principio, & est principium cum alio principio. Principium sine principio solus Pater est, ideò ex uno principio omnia esse credimus. Filius autem ita principium est, ut de Patre sit.* Isidorus Hispalensis Enarr. in Genesin. c. 1. *Principium Christus est, Sic ipse in Evangelio ait: Ego sum principium, qui & loquor vobis. In hoc igitur principio fecit Deus cœlum.* Beda in Hexaëmeron: *Potest non improbabiliter intelligi, in principio fecisse Deum cœlum & terram in unigenito suo filio, qui interrogantibus se Judæis, quid eum credere deberent, respondit: Principium, qui & loquor vobis; quia in ipso, ut ait Apostolus, condita sunt omnia in cœlis & in terra.* Per Spiritum autem innatantem aquis Spiritum sanctum intelligit Tertullianus lib. de baptismo c. 3. scribens: *Habes homo inprimis ætatem venerari aquarum, quod antiqua substantia; dehinc dignationem, quod divini Spiritus sedes, gratior scilicet cæteris tunc elementis.* Et in carmine, quod præ se fert Geneseos nomen, atque ab aliis describitur Cypriano: *Principio Dominus cœlum, terramque creavit. Namq́; erat informis fluctuque abscondita tellus. Immensusq́; Deus super æquora vasta meabat, Dum chaos & nigræ fuscabant cuncta tenebræ.* Basilius Magnus homil. 2. in Hexaëmeron: *Spiritum dicit aut diffusionem aeris, aut, quod & verius est, & à majoribus nostris probatum, Spiritus ille Spititus Dei sanctus est: propterea, quod observatum est, talem de illo peculiari modo Scripturam præcipueque facere mentionem, & nihil aliud Dei Spiritum appellare, quam ipsum Spiritum sanctum, qui divinæ beatæque Trinitatis numerum complet.* Ambrosius lib. 1. in Hexaem. c. 8. *Pulchrè Spiritus superferebatur, quia per ipsum habebant novorum partuum semina germinare. Denique Syrus, qui vicinus Hebræo est, & sermone consonat in plerisque & congruit, sic habet: Et Spititus Dei fovebat aquas id est, vivificabat, ut novas cogeret creaturas & fotu suo animaret ad vitam.* Et in præfat. lib. 2. de Spir. sancto: *Si quis diligenter advertat, & Patrem in principio, & Filium cognoscet, & Spiritum. De Patre enim scriptum est: In principio fecit Deus cœlum & terram. De Spiritu dictum est: Spiritus superferebatur super aquas. Et bene in exordio creaturæ baptismi figura signatur, per quod habuit creatura mundari.* Legi potest idem & lib. d·ini ianci· c. 3. Hieronymus Epist. 83. *Rudis mundus nec dum Sole rutilante, nec pallente Luna, nec astris micantibus, incompositam & invisibilem materiam abyssorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat. Solus Spiritus Dei in aurigæ modum super aquas ferebatur, & nascentem mundum in figurâ baptismi parturiebat.* Aurelius Prudentius in Apotheosi: *Qui Spiritus olim Ore superfusus patrio volitabat in undis Nondum discretis, nec certo littore clausis.* Victor Uticensis in fidei ratione ad Hunericum: *Superferebatur Spiritus Dei super aquas, utpote creator virtute potentiæ*

suæ

ſuæ continens creaturam; ut ex inviva omnia producturus ipſe rudibus elementis ignis proprii fomenta præſtaret, Damaſcenus lib. 2. de Orthod. fide c. 9. *In principio præcepit Deus aquæ, ut educeret animam viventem, quia debebat per aquam & Spiritum ſanctum, qui in principio ferebatur ſuper aquas, renovare hominem.* Rabanus Maurus lib. 1. de Inſtit. Cler. c. 25. *Quod per aquam baptiſmus datur, hæc ratio eſt: Voluit enim Dominus, ut res illa inviſibilis per congruentiã, ſed profectò incontrectabile & inviſibile impenderetur elementum, ſuper quod etiam in principio ferebatur Spiritus ſanctus. Nam ſicut oleum naturali pondere ſuperfertur omni liquori, ita in principio ſuperferebatur Spiritus ſanctus aquis.*

(k) Auguſtinus lib. 1. de Trinit. c. 1. *Non tantummodo de Patre dixit Apoſtolus Paulus: qui ſolus habet immortalitatem, ſed de uno ſolo Deo, qui eſt ipſa Trinitas. Neq; enim ipſa vita æterna mortalis eſt ſecundum aliquam mutabilitatem, ac per hoc Filius Dei, qui vita æterna eſt, cum Patre etiam ipſe intelligitur, ubi dictum eſt: Qui ſolus habet immortalitatem. Ejus enim vitæ æternæ & nos participes facti, pro modo noſtro immortales efficimur. Sed aliud eſt ipſa, cujus participes efficimur, vita æterna, aliud nos, qui ejus participatione vivimus in æternum.* Primaſius in Comm. ad 1. Tim. 6. *Ille ſolus (Deus) propriè habet immortalitatem, qui Angelis & hominibus dedit habere. Nos autem nec ſoli, nec ex nobis habemus, ut ille. Idem ſolus habet incommutabilitatem, quia ſolus veram habet æternitatem: nam anima immortalis quidem eſt, ſed mutabilis: in Deo verò nulla mutabilitas.* Gregorius Magnus lib 25. Expoſit. Moral. in Jobum c. 4. ***Cum cuncti noverimus, quod & humana anima & Angelici Spiritus ſint immortales inſtituti, cur ab Apoſtolo ſolus Deus immortalitatem habere perhibetur, niſi quia ſolus nunquam mutatur.*** *Humana quippe anima in lapſum non caderet, ſi mutabilis non fuiſſet, quæ à Paradiſi quoque gaudiis expulſa, ſi mutabilis non eſſet, ad vitam nunquam rediret. In hoc ipſo verò quod ad vitam redire nititur, defectus ſuos cogitur alternante ſemper mutabilitate tolerare. Quia ergò ex nihilo eſt condita, ex ſe nihilominus infra ſe tendit, niſi ad boni deſiderii ſtatum artificis ſui manuteneatur.* Vid. & Bernardus ſerm. 81. in Cantic.

(l) Iſidorus Hiſpalenſis c. 24. Enarr. in Geneſin. *Scala Chriſtus eſt, qui dixit: Ego ſum via. Per hanc aſcendebant & deſcendebant Angeli, in quibus ſignificati ſunt Evangeliſtæ prædicatores Chriſti, aſcendentes utique, cum ad intelligendam ejus ſupereminentiſſimam divinitatem excedunt univerſam creaturam, ut eum inveniant, qui in principio erat verbum apud Deum, per quem omnia facta ſunt. Deſcendentes autem, ut eum inveniant factum ex muliere: factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erat, redimeret.* Quæ verba repetit Beda expoſ. in Geneſin. Et Rupertus lib. 7. Comm. in Geneſ c. 22. *Vidit* Jacob *ſcalam, ſummis ſuis innixum habentem Dominum, generationem ſuam, id eſt, de ſe incarnatum habituram, per quam cœlos attingeret, & porta cœli hactenus clauſa hominibus pateret.*

(m) Theodoretus Quæſt. 6. in Exodum. *Rubus ardens, ſed non combuſtus, ſignificat unigenitum humanitatem aſſumentem, & virginalem uterum inhabitantem, immaculatam ſervaturum eſſe virginitatem.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Glaphyrorum in Exodum. *Quæ hujus viſionis ratio eſt? Sacræ Scripturæ conſuetudo eſt, divinam naturam igni comparare ob immenſum ſuum robur & magnam abſumendi vim. Lignis autem & herbis, quæ ſunt in agris,*

gris, terrenum æquiparat hominem. Unde quidem interdum ita ait: Deus noster ignis consumens est (Deut. 4, 24.) *Interdum verò sic: Homo tanquam fœnum, & dies ejus tanquam flos campi, ita arescet* (Psal. 103, 15.) *Porrò sicut spinæ ignem ferre nequeunt, ita neque divinitatem humanitas. Cæterum in Christo facta est tolerabilis. Nam in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, sicut sapiens testatus est Paulus* (Col. 2, 9.) *Et lucem inhabitans inaccessibilem, hoc est, demittens seipsum in admirandam humilitatem, ac quasi contrahens invictam naturæ suæ potentiam, ut capi & aptari nobis posset, sicut revera ignis se aptarit spinis. Quod autem id, quod suapte natura aptum est ad corrumpendum, hoc est, carnem, ipse effecerit corruptionis expertem, morteque superiorem reddiderit, demonstrat figura ignis in rubo illæsum omnino servans lignum. Quod autem suum vivificaverit templum & incorruptibile effecerit vita naturaliter existens illud ex Deo verbum quomodo quispiam dubitaverit? Ignis ergò pepercit spinæ, & flamma facta est parvo infirmoque tolerabilis ligno. Capax enim divinitatis facta est humanitas. Et hoc factum est in Christo mysterium.* Gregorius Magnus lib. 28. Moral. in Job. c. 2. *Per succensum rubum Moysen alloquens* Deus *quid aliud ostendit, nisi quòd ex illo populo exiret, qui in igne deitatis carnis nostræ dolores quasi rubi spinas susciperet & inconsumptam humanitatis nostræ substantiam etiam in ipsa divinitatis flamma servaret.* Rupertus Tuitiensis lib. 1. Comm. in Exodum c. 12. *Deus noster quidem ignis consumens est, veruntamen igni elementario multum dissimilis iste ignis est. Ignis namque corporeus, quo in corporalibus administrationibus utimur, quod quartum mundi elementum dicimus, res ipsas comburit, quibus continetur, procul autem positis innoxius est. Deus autem noster, verus & perpetuus ignis, suam è contrario naturam vel potentiam exerit. Nam illis, intra quos est, non solum innoxius, verum etiam salutaris & clementissimus est: longè autem positis & digne appropinquare nolentibus nimium damnosus existit, de qualibus Psalmista dicit: Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Quod in beata virgine Maria clarius atque conspicabilius est. Totus enim hic ignis, subauditur Christus Deus & homo, novem in utero ejus mensibus habitavit, & levem carnis vel animæ ejus stipulam sive fœnum non solum non conbussit, verum etiam majore cum virginitatis honore, gratiaque formati exinde hominis, quem assumpsit perenniter illustravit.* Bernhardus serm. de virgine Deiparâ ex verbis Apocalypsis Apoc. 12. *Signum magnum: Magna planè visio rubus ardens sine combustione. -Non est rubi natura, opertum undique flammis, manere nihilominus incombustum. -Non est virtutis humanæ, sed nec angelicæ quidem, sublimior quædam necessaria est. Spiritus sanctus, inquit, superveniet in te. Et tanquam respondeat illa: quoniam Spiritus est Deus, & Deus noster ignis consumens est. Virtus, ait, non mea, non tua, sed altissima obumbrabit tibi.*

(n) Per spiraculum vitæ Gen. 2, 7. Spiritum sanctum intelligunt ex priscis Ecclesiæ Doctoribus non pauci. Videtur huc omninò respexisse Irenæus, quando lib. 5. c. 6. scribit: *Perfectus homo commixtio & adunitio est animæ assumentis Spiritum Patris & admixta ei carni, quæ est plasmata secundum imaginem Dei. Si substantiam tollat aliquis carnis, id est, plasmatis, & nudè id ipsum solum Spiritum intelligat, jam non spiritualis homo est, quod est tale, sed spiritus hominis aut Spiritus Dei. Cum autem spiritus hic commixtus animæ unitur plasmati, propter effusionem Spiritus spiritualis & perfectus homo factus est & hic, qui secun-*

dum imaginem & similitudinem factus est Dei. Basilius lib. 5. adversus Eunomium c. 9. Spiritus ad creandum, vivo Verbo coordinatus est, viva virtus, divina natura ineffabilis ex ineffabili modo, & per sufflationem ad hominem missus. Ambrosius in Psalm. 118. Octon 10. Homo nō est imago Dei invisibilis, sed primogenitus universæ creaturæ, per quem facta sunt omnia. Ille non ad imaginem, sed imago: tu non imago, sed ad imaginem: Habes ergo in tua substantia aliquid de imagine & similitudine Dei, quod sit divinæ simile imagini. -Insufflaverat enim tibi Deus, ut inspirationis suæ dono haberes gratiam, quam tibi tua culpa sustulerat. Sed & Gregorius Nazianzenus huc videtur digitum intendisse, quando Orat. 36. ait: In ipso vivimus, & movemur & sumus secundum duplicem illam inspirationis facultatem, Nam & illinc omnes vitalem spiritum accipimus, & Spiritum sanctum. Cyrillus Alexandrinus 4. Dial. de Trinit. Simul cum ineffabilibus opificis nutibus producta est humana natura: ut existere cœpit & habitudine ad Spiritum exornata est. Inspiravit enim in faciem ejus spiritum vitæ, quod non alio, ut opinor, modo excellentiam illam sanctificationis & affinitatis cum Deo consequi potuisset, nisi Spiritus sancti communione decoraretur. Et lib. 1. de Adorat. in Spiritu. Posteaquam propriæ naturæ rationibus hoc animal absolutum fuit opifice Deo, statim illius similitudine præditum est. Impressa enim in illo est divinæ naturæ imago, inspirato Spiritu sancto, Ipse namque est Spiritus ille vitæ, quandoquidem illa secundum naturam vita Deus est. Rursus lib. 34. Thesauri. Spiraculum illud divinum formato datum homini non dicimus esse animam (esset enim immutamilis, ex tali quippe progressa natura) sed Spiritus divini participationem τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος μετουσίαν, quæ humanæ animæ initio fuit indita. Omnis enim perfectio creatis rebus per Spiritum suppetit. -Hinc & ad imaginem Dei formatum illud animal est factum, utpote participatione sancti Spiritus ipsi conforme redditum. Et lib. 2 Comm. in Joann. c. 2. A Mose didicimus Spiritu ad imaginem divinam sigillatum hominem fuisse. Et sufflavit, inquit, in faciem ejus spiraculum vitæ. Deniq; & lib. 9. eorundem Comment. c. ult. Insufflavit Deus in faciem ejus, hominis, spiraculum vitæ, hoc est, Filii Spiritum. Ipse enim vita est cum Patre, in esse omnia continens. Et postea: Animato homini & ad proprietatem naturæ perfectæ ex anima & corpore deducto naturæ suæ quoddam veluti signaculum creator impressit, sanctum Spiritum, id est, spiraculū vitæ, per quod ad archetypi pulchritudinem formatum, & ad imaginem creatoris perfectum est, atq; ad omnem virtutis speciem vi inhabitantis in eo Spiritus corroboratum. Severinus Gabalitanus Orat. 5. de opificio mundi. Inspiravit Deus in faciem Adami spiraculum vitæ. Inspiravit Christus in facies Apostolorum, & ait: Accipite Spiritum sanctum. Quem Adamus amiserat halitum, ibi Christus restituit, & factus est homo rursus in animum viventem.

(o) Lex spiritualis dicitur partim quia præscribit ea, quæ Spiritus & hominis spiritualis sunt; partim, quia impleri nequit nisi per Spiritum & gratiam ab hominibus spiritualibus. Hoc est spiritualem esse, inquit Chrysostomus homil. 13. in Epist. ad Romanos à peccatis universis abducere. Id enim & lex facit, terroribus admonens, ac suppliciis corrigens, omniaque ad virtutem sectandam consulens. Et Augustinus in Exposit. quarundam proposit. ex Epistola ad Romanos c. 4. Quod autem ait Apostolus: Scimus quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, satis ostendit non posse impleri legem, nisi in spiritalibus, quales facit gratia Dei. Similis

milis enim quisq; factus ipsi legi facile implet, quod præcipit: nec erit sub illa, sed cum illâ. Primasius Comm. in c. 7. Epist. ad Rom. *Lex mandat, quæ Spiritus sunt opera, indeque impleri non potest, nisi à spiritali.*

(p) Augustinus serm. 206. de tempore. *Puer iste typum habuit, Moysi. Misit enim eum Deus cum baculo in Ægyptum: sed baculus sine Christo flagellare Ægyptum potuit, de originali verò vel actuali peccato liberare vel resuscitare non potuit. Nihil enim, dicente Apostolo, ad perfectum adduxit lex. Opus erat, ut qui baculum miserat ipse descenderet. Baculus sine Heliseo nihil valebat, quia crux sine Christo nihil poterat. Venit ergo beatus Heliseus, & ascendit in cœnaculum, quia venturus erat Christus, & ascensurus crucis patibulum. inclinavit se Heliseus, ut puerum resuscitaret: humiliavit se Christus, ut mundum in peccatis jacentem erigeret.* Gregorius Magnus lib. 9. Exposit. Moral. in Jobum c. 22. *A peccati morte timor nos suscitare non valuit, sed ad statum vitæ aspirata mansuetudinis gratia erexit. Quod benè in Eliseo Sunamitis filium suscitante signatur: qui cum baculo puerum mittens, extincto filio vitam minimè reddidit: per semetipsum verò veniens, seque super mortuum sternens, atq; ad ejus membra se colligens, huc illucq; deambulans, & in ore mortui septies aspirans, hunc ad redivivam lucem protinus per ministerium compassionis animavit. Auctor quippe humani generis Deus quasi mortuum puerum doluit, cum extinctos nos iniquitatis aculeo miseratus aspexit. Et quia per Moysem terrorem legis protulit, quasi per puerum virgam misit. Sed puer cum baculo mortuum suscitare non valuit, quia, Paulo attestante, nihil ad perfectum adduxit lex. Ipse autem per semetipsum veniens, & super cadaver se humiliter sternens, ad exequenda sibi mortui membra se colligit.* Isidorus Hispalensis Enarr. in lib. 4. Reg. c. 4. *Misit Heliseus per servum baculum super mortuum & non reviviscit. Misit sermo Dei legem per servum suum, & non profuit in peccatis mortuo generi humano. Venit ipse descendens de cœlorum sublimitate quasi de mortis altitudine, humiliavit se ipsum, conformavit se nobis, mortuisque membris sua membra composuit, nostræq; mortalitati de suo corpore medicinam aptavit: deinde suscepit mortuum septies oscitantem, quia septiformem spiritum humano generi dat, per quod vivificatus à morte peccatorum resurgat.* Hildabertus Cenomanensis Episcopus & hinc Archiepiscopus Turonensis de Natali Domini: *Ut homo erudiretur ad promerendum divitias gloriæ Dei, ut præpararetur ad susceptionem medicinalis gratiæ Dei, Giezi prophetam præcessit cum baculo quia Moyses præcurrit cum legali Testamento. Baculus importabilis onus legis. Lex illa, lex peccare docens, non justificans; lex puniens, non coronans; lex plus habens censuræ, quam misericordiæ. Occidis? occidi juberis: abscindis? abscindi juberis: sabbato lignum colligis? lapidari juberis. Huic baculo suppositus est infirmus noster; gravatus est mortuus noster. Non est evacuata mors nostra, neque sanata plaga nostra. Oportuit ut ad suscitandum mortuum ipse accederet Elisæus, quia necesse fuit, ut antidotum vitæ præpararet homo homini Deus. Expansus est ille in lectulo super mortuum; extensus est hic in patibulo propter mortuum: Spiritus vitæ mortuo redditus est inspirante Elisæo, quia gratia reddita est homini, moriente homine Deo.*

(q) Basilius Magnus lib. 5. adversus Eunomium: *Spiritus sanctus est viva virtus per sufflationem ad hominem missa, & secundum figuram corporaliter à Domino traditam,*

 rursus

rurſus ab eo per ſufflationem reſtituta. Concurrere enim oportet cum primâ novitate præſentem innovationem atque concurſum. Informavit igitur cum inſufflaſſet, cum non alius eſſet atq; is, qui à principio inſufflavit, ſed ipſe, per quem Deus inſufflationem dedit, tunc quidem cum anima, nunc verò in animam. Vid. idem & lib. de Spir. ſancto c.16. Ambroſius in Pſalm. 118. Octon. 10. *Inſufflaverat tibi Deus, ut inſpirationis ſuæ dono haberes gratiam, quam tibi tua culpa abſtulerat. Factus eras in animam viventem. Audi quid dicat, non in carnem, ſed in animam viventem: ſed quia peccator ſignaculum tenere non potuit, & in crimine poſitus non ſapiebat, quæ Dei ſunt, & quæ hominum, propterea venit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & à mortuis reſurgens, cum clauſos diſcipulos reperiiſſet, clauſtris ingreſſus eſt manentibus, & dixit: Pax vobis; cumq; hoc dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum.* Conferri poſſunt etiam Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 17. & Alexandrinus lib. 12. Comm. in Johann. & 7. Dial. de Trinit. ut Severiani Gabaletani nunc mentionem haud faciam, cujus verba jam ante à nobis ſunt adducta.

(r) Iſidorus in Numer. c. 14. *Iſte Sacerdos Dominus JEſus Chriſtus eſt, princeps principum Sacerdotum. Iſte ruinam mortis in mundo aſpiciens occurrit à ſummo cœlo, venitq; obviam quaſi gigas ad currendam viam, ſtetitq; inter vivos & mortuos, qui natus & mortuus, ſicq; thuribulum paſſionis ſuæ accipiens, & in odorem ſuavitatis prætendens, ſuſpendit ignis æterni perniciem & inimicam pertulit mortem.* Quæ verba repetuntur in Gloſsâ ordin. ad Num. 16. Sed & Beda Expoſ. in Num. c. 16. *Iſte ſacerdos Chriſtus, iſte de cœlo veniens, plagam noſtram excluſit, iſte inter vivos & mortuos natus vel mortuus: vel certè ſicut de illo ſcriptum eſt: Ecce poſitus hic eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael. Sicq; & thuribulum paſſionis ſuæ accipiens ſuſpendit ignis æterni perniciem, & inimicam pertulit mortem.* Stetisse autem in cruce Servatorem dicimus non ſine cauſa. Non enim uno clavo ambo ejus pedes ſuperimpoſiti ſibi invicem fuere perfoſſi, ut vulgo putatur, ſed duobus ſeorſum inſiſtentes tabellæ prominenti ex medio ſtipite crucis, pro more ſcilicet apud Romanos recepto. Quo reſpiciens & Plautus in Moſtellaria act. 2. ſcenâ 1. ait: *Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit: Sed eâ lege, ut affigantur bis pedes, bis brachia.* Atq; hinc Cyprianus Serm. de paſſione Chriſti Servatorem alloquens: *Clavis* inquit, *ſacros pedes terebrantibus de vulnerum anxietate non loqueris.* Clavis, ait, non clavo. Et Gregorius Turonenſis lib. 1. de gloriâ Martyrum c. 6. *Clavorum Dominicorum gratia, quod quatuor fuerint, hæc eſt ratio: duo ſunt affixi in palmis, & duo in plantis.* Auguſtinus lib. Meditationum c. 6. *Immaculata veſtigia Chriſti diris confixa Clavis.* Innocentius III. ſerm. 1. de Martyr. *Fuerunt & clavi quatuor, quibus manus confixæ ſunt, & pedes affixi ſunt.* Et poſtea: *In his duobus lignis duos pedes, & duas manus quatuor clavis debet configere Chriſtianus.* Tabellæ verò in quâ pedes fixi fuerunt, iterum meminit Gregorius Turonenſis loco citato his verbis: *Quæritur, cur plantæ affixæ ſint, quæ in cruce ſanctâ dependere viſæ ſunt potius, quam ſtare? Sed in ſtipite erecto foramen factum manifeſtum eſt. Pes quoq; parvulæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt: ſuper hanc verò tabulam, tanquam ſtantis hominis, ſacræ adfixæ ſunt plantæ.* Pariter & Innocentius III. rurſum: *Fuerunt in cruce Dominicâ ligna quatuor, ſtipes erectus & lignum transverſum, truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus.* Quidam pro confirmatione

tione hujus adducunt & testimonium Irenæi, lib. 2. adversus hæres. c. 42. scribentis: *Ipse habitus crucis fines & summitates habet, quinq; duos in longitudine & duos in latitudine, & unū in medio, ubi requiescit, qui clavis affigitur.* Extrema enim hæc verba de suppedaneo isto seu tabellâ, cui pedes innixi fuere, exponunt, sed præter mentem Irenæi, qui verbis istis signat lignum medianum quod inter femina excucurrit ac prominuit, ut corpus in eo quiesceret. Cujus & Justinus meminit in Dialogo cum Tryphone his verbis: *Unicornis cornu* (videlicet in benedictione Mosis, quam is tribui Joseph impertivit Deut. 33. 17.) *non alterius cujuspiam rei aut figuræ aliquis dicere & demonstrare queat similia esse, quam notæ ejus, quæ crucem designat. Directum namque est unum lignum, unde summa pars in cornu sustollitur, cum lignum ei aliud adaptatur: & utrinq; ut cornua, unicornu adjunctæ summitates apparent: & quod in medio fixum est, ut cornu & ipsum eminet, in quo vehuntur & insident, qui crucis supplicium subeunt, ut cornu formam præ se fert istud ipsum quoque cum aliis cornibus conformatum & compactum lignum.* Conferatur & Tertullianus lib. 3. adversus Marcionem c. 18. & 19. & lib. contra Judæos c. 11.

(s) Justinus Martyr in Dial. cum Triphone: *Credimus & scimus, baptismum quod solum lustrare atque purificare potest pœnitentiam agentes, aquam esse vitæ,* τὸ ὕδωρ τῆς ζωῆς. Tertullianus lib. de baptismo c. 1. *Felix Sacramentum aquæ nostræ, qua abluti delictis pristinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur.* Et c. 2. *Quid: nonne mirandum & lavacro dilui mortem.* Rursus c. 3. *Primus liquor, quod viveret edidit, ne mirum sit in baptismo si aquæ animare noverunt. Nam ipsius quoq; hominis figulandi opus sociantibus aquis absolutum est.* Et c. 5. *Restituitur homo* (in baptismo) *Deo ad similitudinem ejus, qui retrò ad imaginem Dei fuerat: imago in effigie, similitudo in æternitate censetur. Recipit enim illum Dei Spiritum quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum.* Cyprianus Epist. 2. (in aliis editionibus est secunda lib. 2.) ad Donatum: *Difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus* (antequam scilicet converteretur) *opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset, utq; in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat, exponeret; corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret.* Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 3. Illumin. *Descendis quidem in aquam ferens peccata, sed gratiæ invocatio signans animam non permittit deinceps ab horrendo illo submergi dracone. Mortuus in peccatis descendisti, & ascendis vivificatus in justitiâ.* Gregorius Nyssenus in lib. de Baptismo: *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis & regenerationis causa.* Ambrosius lib. 2. de pœnitentia c. 2. *Sicut aquila cum fuerit mortua, ex suis reliquiis renascitur: Sic per baptismatis Sacramentum, cum fuerimus peccato mortui, renascimur Deo ac reformamur.* Chrysostomus hom. 25. in Genesin. *Quod est matrix embryoni, hoc est fideli aqua: siquidem in aqua fingitur & formatur.* Leo Magnus serm. 4. in Nativ. Domini. *Spiritualem originem in generatione quisq; consequitur, & homini omni renascenti aqua baptismatis instar est uteri virginalis eodem Spiritu sancto replente fontem, qui replevit & virginem, ut peccatum, quod ibi vacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio.* Et serm. 5. *Originem, quam sumsit in utero virginis, posuit in fonte baptismatis; dedit aquæ, quod dedit matri. Virtus enim altissimi & obumbratio Spiritus sancti,* quæ

quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit, ut regeneret unda credentem.

(ſſ) Cyrillus Hyeroſolymitanus Catecheſ. Myſtag. 4. *Sub ſpecie panis datur tibi corpus & ſub ſpecie vini datur ſanguis, ut ſumpto corpore & ſanguine Chriſti efficiaris ei comparticeps corporis & ſanguinis. Sic Chriſtophori ſimus, hoc eſt, Chriſtum ferentes, cum ejus corpus & ſanguinem in membra noſtra recepe rimus, atq; ita divinæ naturæ efficimur conſortes.* Alter Cyrillus Alexandrinus lib. 11. Comm. in Joh. c. 12. *Eſt in nobis filius corporaliter quidem ut homo, nobiſcum commixtus eſt unitus per Eulogiam myſticam: Spiritaliter autem ut Deus, ſui Spiritus virtute & gratiâ, qui in nobis eſt & inſtaurans ad novitatem vitæ, & divinæ ſuæ naturæ conſortes faciens.* Leo Magnus ſerm. 14 de paſſione Domini: *Non aliud agit participatio corporis & ſanguinis Chriſti, quàm ut in id quod ſumimus, tranſeamus, & in quo mortui & ſepulti & conreſuſcitati ſumus, ipſum per omnia & ſpiritu & carne geſtamus.*

(t) Inde Ignatius in Epiſt. ad Epheſ. Euchariſtiam vocat φάρμακον ἀθανασίας καὶ ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν ἀλλὰ ζῆν ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ διὰ παντὸς *pharmacum immortalitatis & antidotum ejus, quod eſt non mori, ſed vivere ſemper in Jeſu Chriſto.* Irenæus lib. 4. c. 34. *Quomodo dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam quæ à carne & ſanguine Domini alitur? -- Quemadmodum enim qui eſt à terra panis percipiens invocationem Dei, jam non eſt communis panis, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrenâ & cœleſti: ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* Et lib. 5. c. 2. *Vani omnimodò qui- carnis ſalutem negant, & regenerationem ejus ſpernunt, dicentes non eam capacem eſſe incorruptibilitatis. -- Quando enim mixtus calix & fructus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia. Quomodo* verò *carnem negant capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & membrum ejus eſt? Quemadmodum & beatus Apoſtolus ait: - Quoniam membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus, non de ſpirituali aliquo & inviſibili homine dicens hæc (Spiritus enim neque oſſa neque carnes habet) ſed de eâ diſpoſitione, quæ eſt ſecundum verum hominem, quæ ex carnibus, & nervis, & oſſibus conſiſtit, quæ de calice, qui eſt ſanguis ejus, nutritur; & de pane, qui eſt corpus ejus, augetur. Et quemadmodum lignum vitis depoſitum in terrâ ſuo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & diſſolutum, multiplex ſurgit per Spiritum DEI, qui continet omnia, quæ deinde per ſapientiam in viſum hominibus veniunt, & percipientia verbum Dei Euchariſtia fiunt, quod eſt corpus & ſanguis Chriſti: ſic & noſtra corpora ex ea nutrita & repoſita in terram, & reſoluta in ea, reſurgent in ſuo tempore, Verbo Dei reſurrectionem eis donante in gloriam Patris.* Patres Concilii Nicæni lib. 3. Actorum c. de divinâ Menſâ: *Hic in divina Menſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & poculum, ſed attollentes mentem fidei, intelligamus ſitum in ſacra illa menſa agnum illum DEI tollentem peccati mundi, -- & pretioſum ipſius corpus & ſanguinem nos verè ſumentes credere hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola.* Cyrillus Alexandrinus lib. 4. Comm. in Joh.

Johann. v. 51. *Dedit suum corpus Christus pro vita omnium, & per ipsum in nobis rursum vitam inserit. -- Postquam enim vivificum illud Dei Verbum in carne inhabitavit, in suum bonum eum, hoc est, ad vitam reformavit, & omninò ei ineffabili unionis modo conjunctum vivificam reddidit, non secus ac ipsum est, secundum naturam. Proinde Christi corpus vivificat eos, qui ejus sunt participes. Expellit enim mortem cum fuerit in morte obnoxiis & corruptionem removet, rationem in seipso pariens, quæ corruptionem perfectè dolent.* Et in antecedentibus : *Verus potus est sanguis Christi, quo radicitus mors evertitur atque destruitur. Non enim hominis simpliciter sanguis est, sed ejus, qui naturali vitæ conjunctus vita affectus est.* Plura testimonia his gemina adduxi in observat. ad concionem de causis, ob quas Christus Eucharistiam instituerit sub speciebus panis & vini. Atque hinc & Punici Christiani Sacramentum corporis Christi VITAM vocarunt, teste Augustino lib. 1. de peccatorum meritis & remiss. c. 24.

(u) Auctor Comment. in Apocalypsin apud Ambrosium ad verba illa c. 2, 7. Vincenti dabo edere de ligno vitæ: *Duo ligna erant in medio Paradisi, è quibus unum lignum vitæ, alterum vero lignum scientiæ boni & mali vocabatur. Quorum virtus talis erat, ut si quis ex ligno vitæ comedisset, non moreretur in æternum: si quis verò ex ligno scientiæ boni & mali comederet, quamvis esset immortalis, mortalis statim fieret. Paradisus igitur Ecclesiam significat: lignum verò vitæ in medio Paradisi Christus est in medio Ecclesiæ suæ. Lignum autem scientiæ boni & mali, quod & ipsum in medio Paradisi fuisse dicitur, Diabolum significat, qui inter fideles discurrere non cessat, ut, quoscunque potest, decipiat. Lignum igitur vitæ ad electos, lignum verò scientiæ boni & mali ad reprobos pertinet.* Et Hieronymus in c. 24. Jobi: *Lignum vitæ de cruce, vel de Christo dicitur: Secundum dies ligni erunt dies populi mei.* Auctor Comment. apud Augustinum homil. 2. *Vincenti dabo manducare de ligno vitæ, id est, de fructu crucis: quod est in Paradiso Dei mei. Paradisum Ecclesiam dicit. Omnia enim in ejus figuram facta sunt.* Andreas Cæsariensis c. c. 3. in Apocalypsin. *Homini ex prælio, quod contra dæmones geritur, victoriam referenti, esca de ligno vitæ decerpta promittitur, nempe æternorum bonorum communicatio. Siquidem per æternæ vitæ lignum ejusmodi bona designare solent. Utrumque autem, ut Salomon insinuat, & præsens Evangelista alicubi disertè affirmat, est Christus. Ille enim de sapientia verba faciens iis, qui apprehendunt illam, instar ligni vitæ esse pronunciat: Joannes autem de Christo in hunc modum scribit: Hic est verus Deus, & vita æterna.* Primasius lib. 1. Comment. in Apocalypsin: *Qui vincet, dabo ei edere de ligno vitæ, id est de fructu crucis, quod est, inquit, in Paradiso Dei mei. Paradisus etiam Ecclesia intelligi potest. Omnia enim in figura facta sunt, & Adam, umbra futuri, Apostolo docente, præcessit. Lignum verò vitæ, sapientia Dei, Dominus Jesus Christus, qui in cruce pependit: qui & in Ecclesia & in spiritali Paradiso vitale alimentum cœlestisque panis præbet fidelibus sacramentum, de quo legimus: Sapientia vita est amplectentibus eam.* Beda in Apoc. 2. *Lignum vitæ Christus est, cujus in cœlesti Paradiso visione,*

& in-

& in præsenti Ecclesiâ corpore sanctæ reficiuntur animæ. Richardus de S. Victore in comm. ad eundem locum: *Lignum vitæ Christus est, qui suis electis semetipsum participando per gratiam vitam æternam præbet* Anshelmus itidem in Comm. ad h. l. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei, id est, in horto deliciarum, scilicet Ecclesia. Christus lignum vitæ dicitur, quia idem facit in Ecclesia, quod lignum vitæ in Paradiso. Erat officium ligni illius, ut conservaret fruentes fructu suo à morte & à senio: hoc idem explet Christus in Ecclesiâ suâ. Custodit enim fideles suos & à verâ morte, & ab omni defectu.* Rupertus lib. 2. Comment. in Apocalyp. *Christus lignum vitæ est, cujus & in cœlesti Paradiso visione, & in præsenti Ecclesiâ corpore sanctæ reficiuntur animæ. Illud materiale lignum vitæ hominem morte animæ, scilicet peccato jam mortuum, non vivificasset, sed carnem vivere faceret in æternum, quod infelicissimum esset; Mortuus quippe in animâ si corpore viveret homo in æternum, non recuperaret in æternum, & esset æternaliter miser, ut dæmones sunt. Hoc autem lignum vitæ, quod est Christus, dum nos corpore & sanguine suo reficit, jam nunc resuscitat animam à morte peccati, & carnem nostram in novissimo die resuscitabit.* Nicolaus de Lyra ad c. 2. Apoc. *Istud lignum Christus est, ut habetur in fine hujus libri, quo fruuntur beati, nam ejus divinitate reficiuntur interius: & ejus humanitate exterius, secundum quod dicit Augustinus super illud Joh. 10. Ingredietur & egredietur, & pascua inveniet.* Et postea in Expos. morali: *Vincenti tentationes mundi, carnis & Diaboli dabo edere de ligno vitæ, id est, dabo ei fruitionem bonitatis Christi, quod est verè lignum vitæ.*

(W) Lactantius lib. 7. c. 10. & 11. *Qui se vitiis ac sceleribus contaminaverit, voluptatiq; servierit, is verò damnatus æternam luet pœnam, quam divinæ literæ secundam mortem nominant, quæ & est perpetua, & gravissimis cruciatibus plena. Nam sicut duæ vitæ propositæ sunt homini, quarum altera est animæ, altera corporis: ita & mortes duæ propositæ sunt, una pertinens ad corpus, quà cunctos secundum naturam fungi necesse est; altera pertinens ad animam, quæ scelere acquiritur, virtute vitatur: & ut vita hæc temporalis est, certosq; terminos habet, quia corporis est; sic & mors æquè temporalis est, certumq; habet finem, quia corpus attingit. --Rursum sicut vita animi sempiterna est, in qua divinos & in eloquibiles immortalitatis suæ fructus capit: ita & mors ejus perpetua sit necesse est, in qua perennes pœnas & infinita tormenta pro peccatis suis pendet.* Et Augustinus lib. 6. de civit. Dei c. 12. *Si anima in pœnis vivit æternis, quibus & ipsi Spiritus cruciabuntur immundi, mors illa potius æterna dicenda est, quam vita. Nulla quippe major & pejor est mors, quàm ubi non moritur mors. Sed quod animæ natura, per id, quod immortalis creata est, sine qualicunque vitâ esse non potest, summa mors ejus est alienatio à vitâ Dei in æternitate supplicii.* Consona his idem habet lib. 13. de civitate Dei c. 2. & 11. necnon lib. 19. c. 28. & lib. 21. c. 3. item in Enchiridio c. 92. Paulinus de obitu Celsi: *Vita erit his sine fine mori & mors vivere pœnis, Et durante suas pascere carne cruces.* Prosper Aquitanicus lib. 3. de vita contempl. c. 12. *Omnes qui in gehenna dicuntur occidi, non id cum illis agitur, ut maximis consumpti doloribus aliquando deficiant, sed ut in illis pœnaliter vivant.* Algerus lib. 2. de Eucharistiâ c. 5. *Mali etiam in corpore vitam æternam habebunt, quam tamen magis mortem dixerim, quia Deo, qui verè vita est, non placebunt: & ideò sine divinâ gratia misera erit æternitas, quia æterna miseria.* Bernar-

Bernardus in medit. devot. c. 3. *Erit ibi mors animæ & corporis. Sic tamen morientur, ut semper vivant: sic vivent, ut semper moriantur.* Innocentius III. lib. 3. de contemptu mundi expendens verba illa Psalmi 49. Sicut oves in inferno positæ sunt, & mors depascet eos: *Dictum, ait, est hoc à simili jumentorum, quæ non radicitus evellant herbas, sed summitates solummodò carpunt, ut iterum herbæ renascantur ad pastum, Sic & impii quasi morte pasti reviviscent ad mortem, ut æternaliter moriantur. Ovidius: Sic inconsumptum Titii semperque renascens, sic perit, ut possit sæpè perire jecur. Tunc erit mors immortalis, tunc vivent mortui, qui vitæ sunt mortui. Quærent mortem & non invenient, quia vitam habuerunt, & perdiderunt.*

(x) Ita verba Pauli exponit etiam Sedulius in Collectaneis. Sic enim ille: *Mihi vivere Christus est. Non aliâ causâ vivere volo, nisi Christi, id est, ut ejus corpus ædificem.* Quod repetit etiam Primasius in Comm. ad verba Apostoli ita scribens: *Nulla jam hic voluntas vivendi est, nisi ut corpus ejus ædificem exemplo meo.*

(y) Duæ sunt præcipuæ in homine facultates animæ: intellectus & δύναμις προαιρετικὴ seu facultas eligendi unum præ alio. His enim duabus facultatibus homo à brutis discriminatur animalibus, cum quibus alias ipsi vis vegetativa & sensitiva est communis. Habet autem intellectus pro fine contemplationem; facultas proæretica verò actionem. Unde meritò vita hominis in contemplativam dividitur & activam, quemadmodum & beatitudo, quæ perfectio vitæ humanæ est, in tot distribuitur species seu gradus, quâ de re videndus est Aristoteles lib. 10. Ethic. c. 7. Sed & Philosophia hinc, quæ in id intenta est, ut hominem, quâ homo est, perficiat, in contemplativam præcipuè & activam invenimus divisam, cum apud alios, tum apud Aristotelem ipsum lib. 2. Met. c. 1. Jam autem neutram beatitudinem plenè assequi possumus sine Deo. Hic enim norma est beatitudinis nostræ. Adeò ut & contemplatio nostra & actio frustraneæ sint, nisi ad illum nos ducant, qui verum omnium finis est & mensura, adeò ut hinc & Alexandro homo & perfectissimus homo demum is dicatur, qui ὁμοιοῦται μάλιστα τῷ Θεῷ, *ad Deum proximè accedit.* Sed nec pervenire ad beatitudinem possumus omnibus numeris absolutam sine virtute divinâ. Quod præter eos, quos laudavimus in Annot. ad introitum concionis de verbis Servatoris ex Luc. 10. 23, 24. Dom. XIII. post Trinit. anno proximi præterlapso habita & alii fatentur Paganorum Scriptorum. Sic enim in Heraclide Euripides v. 608. Οὔ τινά φημι Θεῶν ἄτερ ὄλβιον, *Neminem sine Diis prædico beatum* Et Æschylus in septem ad Thebas v. 577. Θεοῦ inquit δῶρόν ἐστιν εὐτυχεῖν βροτοὺς, *Dei donum est, mortales felices esse.* Denique & Lucianus in Antholog. Græcorum lib. 1. c. 80. epigr. 20. Θεοῦ μὲν, inquit, ἐκτὸς, οὐδεὶς εὐτυχεῖ βροτός, *Extra Deum nullum hominem contingit esse beatum.* Viribus autem ad veram beatitudinem necessariis nos Deus instruit per Christum, quem eum in finem in mundum misit, ut nos ad vitam verè beatam duceret, quo ea non solum in hoc, sed & altero seculo, pro ratione utriusque frui possemus. Unde ad ipsum mentem nostram conversam esse oportet, si rectè vivere nobis est constitutum, sive in contemplatione, sive in actione versemur: idque tantò magis, quia ille nobis passione sua ac morte & ipsam vitam æternam, per peccatum amissam, & vires ad peragendum id, quod ex nostra parte ad recuperandam illam requiritur, necessarias promeritus est. Ex quo *extra illum nulla* omnino est *salus* Act. 4, 12.

(z) In Græco habetur σκύβαλον quod, ut Etymologus habet, propriè idem est, quod τὸ ἐντερῶν ἐκδιδόμενον *projectum quid ex intestinis*, & mox addit κυσίβαλόν τι ὄν, tanquam si propriè ac primariò *stercus* sit *caninum*. Solet tamen latius pro stercore quovis accipi ex intestinis derivato, velúti in eo, quod Auctoris nomine tacito citat Suidas in voce κλυστὴρ κλυστῆρα προσθέμενος, ὑπεξήγαγε τῆς ἑαυτοῦ γαστρὸς τὰ σκύβαλα, *adhibito clystere, excrementa è ventre suo eduxit.* Sed & Alexander Aphrodisæus in Problematibus aliquoties hoc sensu vocem usurpavit. Veluti lib. 1. Quæst. 17. ad quæstionem, quare senum membra tremula fiat, respondet, id ideò fieri, *quoniam nervi membrorum & musculi vi sua movendi privati non amplius æquè partes continere, firmare & stabilire non possunt.* Et subdit διὰ τοῦτον τὸν λόγον τῆς ἀσθενείας τῶν δυνάμεων ἀπροαιρέτως ἐξιᾶσι σκύβαλον καὶ οὖρον, id est, interprete Theodoro Gaza, *Hæc eadem imbecillitas facit, ut & urina & alvi excrementa prodeant inconsultè.* Et quæst. 88. quærit, διὰ τί λευκὸν ἔχουσι τὸ σκύβαλον οἱ ἰκτερικοί, *cur illi, qui morbo regio laborant, excrementa egerant* ALBA? Sed & Hesychius in Lexico σκύβαλα idem esse ait quod κόπρος, *stercus* vel *fimus.* Quem vocis sensum nihil obstat quo minus & in verbis Apostoli exponendis retineamus. Revera enim ille res mundanas omnes cum Christo collatas pro stercore habuit: quomodo aliàs de amantium facultatibus Plautus in Truculento Act. 2 Scen. 7. *Amator bona sua pro stercore habet.* Et de Cratete Apulejus 2. Florid. *Rem familiarem abjicit, velut onus stercoris, magis labori, quam usui.* Sed & Cajus Lucilius lib. 11. Satyr. *Prætor noster adhuc, quam spurcus est ore, quod omnes Extra castra ut stercus, foras ejecit in unum.* Ita sanè accepit verba Apostoli Vulgatus Latinus, qui sic ea transtulit: *Arbitror omnia ut stercora ut Christum lucrifaciam.* Sed & Syrus ita intellexit. Item Tertullianus lib. 5. adversus Marcionem c. 20. Sic enim ille de Apostolo: *Hæc ac si stercora existimat præ comparatione agnitionis Christi.* Hieronymus quoque, cujus hæc lib. 2. Comment. in Prophetam Habacuc sunt verba: *Apostolus doctrinæ veteris errorem dicit se reputasse in* σκύβαλα, *id est, in stercora: non quod lex vetus, ut Manichæi arbitrantur, ad comparationem Evangelii scybala computetur, quod impium est dicere, cum unius Dei utrumque sit Testamentum; Sed quod doctrinæ Pharisæorum, & præcepta hominum, &* δευτερώσεις *Judæorum stercora dicantur ab Apostolo.* His consentit & Auctor Comment. in Epist. ad Philippenses, qui Hieronymo itidem ascribitur. Sic enim ille verba Apostoli exponens: *Arbitror omnia ut stercora, quæ ciborum sunt reliquiæ, ut Christum habeam caput, & ejus inveniar membrum.* Non aliter & Sedulius, qui in Epist. ad Philip. hæc habet verba: *Stercora sunt, quæ ejiciunt homines, vel cætera animalia ex utero, cum quod forte & solidum est, ad confirmandum & satiandum corpus, remanet intus: sic litera legis ejicitur, & sensus spiritualis ad cibum animæ in corpore Ecclesiæ remanet.* Porrò & Beda in Comment. *Constat, secundum istam justitiam, quæ in lege est, conversari sine querelâ, impedimentum fuisse Apostolo, ne veniret ad Christum nec eum venisse ad Christum, nisi hoc, quod fuit secundum justitiam, quæ in lege est sine querelâ, inter damna, & detrimenta & stercora computasset.* Strabus Fuldensis in Glossâ ordinariâ: Non tam detrimenta *bonorum* existimo omnia cum Christo collata, *sed quæ inquinant jam observantem, & hoc ideò, ut in futuro Christum habeam præmium, & hic sim in illo membrum: quod aliter fieri nequit, nisi illa æstimem, ut stercora.* Quæ verba repetit & Anshelmus.

helmus in Comm. ad Phil. 3. Cæterum reperimus vocem σκύβαλον, ab isto significatu etiam ad alia tractam, adeò ut eâ etiam aliarum rerum reliquiæ & purgamenta indigetentur. Veluti *sedimenta olei.* Sic enim vetus Glossarium: Σκύβαλον *retrimentum.* Hoc autem est sedimentum olei, seu fæx crassior, ceu constat ex Varronis l. b. 1. de re rusticâ c. 64. ubi ita scribit: *Amurca cum ex oleo est expressa, qui est humor aquatilis, ac retrimentum conditum in vas fictile.* Item *scoriæ metallorum,* veluti apud Dioscoridem lib. 5. c. 85. ubi de cadmiâ ad medicinæ usum parandâ disserens ait: τὸ σκύβαλον πᾶν ἐν τῷ ὀθονίῳ μένει *omne verò crassamentum intra linteolum retinebitur,* sicuti Ruellius interpretatus est, pro quo Marcellus posuit, *quod inutile est & durum.* Ex quo & apud Plutarchum in Themistocle σκυβαλικὸν ἀργύριον Timocreonti Poëtæ dicitur nummus non tam argenteus, quam è *scoriâ confectus, aut saltem scoriâ permistus.* Ulterius & *deciduamensarum,* quæ canibus projiciuntur aut relinquuntur. Cujus significationis meminit Suidas in Lexico, scribens: Κυνίω. σκύβαλον, κυνὶ ἐκβαλλόμενόν τι ὄν, τὸ τοῖς κυσὶ βαλλόμενον, Propriè σκύβαλον vocatur *id, quod canibus est projectum.* Quod illustrat verbis istis epigrammatis: Οὐδ᾽ ἀπὸ δειπνιδίου γευόμενος σκυβάλου, Σπεύδων εἰς ἄλλους οἴκους ἴθι, *Ne de cœnulâ quidem gustans relictas abjectissimas partes aut manuum purgamenta properans in alias domos abi.* Rursus etiam *surculorum, sarmentorum & virgultorum aridorum deciduæ partes:* Sic enim Charisius lib. 1. φρυγάνων χαίτη, σκύβαλα. Denique & *pelliculæ,* quæ ubi farra moluntur aut pinsuntur, abscedunt, vel dum farina cribratur, à polline secretæ, in cribro manent: item *paleæ & aristæ* quæ dum frumenta purgantur, aut cribro excidunt, aut excutiuntur. Sic enim Auctor Etymologici: Ἀπροβράσαι, τὸ διακαθᾶραι πυροὺς ἢ ἀλεύρα. ὅθεν καὶ ἀποβράσματα σκύβαλα πυρῶν ubi ἀποβράσματα sive *furfures tritici* σκύβαλα appellat. Quod ipsum apud Hesychium quoque occurrit, pro quo Suidas τὰ πίτυρα τῶν πυρῶν. Sic enim ille ἀποβράσματα τὰ πίτυρα παρὰ Καλλιμάχῳ. οὐδὲν ἀπέβρασε φαῦλον ἀλετρὶς ἀποβράσματα *apud Callimachum vocantur tritici furfures,* videlicet in istis verbis: *Nihil mali molitrix à tritico secrevit,* hoc est, nullas in tritico sordes invenit, quas purgaret aut abjiceret. Sed & ista Hesychii huc pertinent: Σκυβαλισμὸς, ἐκφαύλισμα, καὶ τὸ ἀδόκιμον. ἐκ μεταφορᾶς τῶν σκυβάλων, τῶν ἀχύρων, quibus verbis indicat, σκύβαλον idem esse quod ἄχυρον, *acus vel palea.* Quod & Priscianus observavit, Grammaticus Cæsariensis, lib. 5, Grammat. his verbis: *Invenitur* etiam hoc acus, hujus aceris, quod Græci σκύβαλον vocant, id est, purgamentum *frumenti.* Sed respexit huc & Syracides verbis istis, quæ apud illum c. 27. v. 4. reperiuntur: Ἐν σείσματι κοσκίνου διαμένει κοπρία, οὕτω σκύβαλα ἀνθρώπου ἐν λογισμῷ αὐτοῦ *Ut in concussione cribri remanent sordes: ita in cogitatione hominis remanent quædam quasi purgamenta.* Allusisse verò ad hanc significationem & Apostolum existimat Chrysostomus homil. 11. in Epist. ad Philipp. Ait enim: Σκύβαλον τὸ ἄχυρον, σκύβαλον *rejectamentum à frumento est,* ceu reddidit Erasmus. Et Photius in Scholiis; Σκύβαλα, inquit, τοῦ σίτου ἡ καλάμη, σκύβαλα *dicta sunt tritici culmus.* Sed & Theophylactus: σκύβαλα τοῦ σίτου τὰ ἄχυρα, ἤτοι ἡ καλάμη, σκύβαλα *sunt frumenti paleæ, sive culmus.* Ad summam σκύβαλον pro qualibet re vili & rejicula ponitur. Unde & Charisius rursum σκύβαλα *quisquilias* interpretatur. Qui & consentientem sibi hactenus habet Philoxenum, cujus glossæ, quoad præsens ita habent: *Quisquiliæ* σκύβαλα. Sed & advertit idem Auctor Comment. apud Hieronymum, nec non Primasius in collectaneis ad laudatum

Apostoli locum. Ambo enim observant σκύβαλα non solum dici *ciborum reliquias*, sed & *rerum vilium purgamenta.* Atque hinc & verbum σκυβαλίζομαι, pro *vilipendor* aut pro re rejiculâ habeor. Quo sensu apud Syracidem occurrit c. 26. 26. ἄνδρες συνετοὶ ἐὰν σκυβαλισθῶσι, *Viri intelligentes si contemnantur aut pro rejectamentis habeantur*, id quidem me valdè afficit, atq; indignationem in me movet.

quasi Judaea vase inclusum. Notus enim, ait, in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus. Quando autem coruscans in carne sua Salvator in universam terram, quin potius in omnem creaturam extendit vocabulum suum, implet eo, quod scriptum est: Quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Ambrosius lib. de Isaac & anima c. 3. *Aspirat in verbo odor gratiae & remissio peccatorum, quae in totum diffusa mundum omnia tanquam exinanito replevit unguento, quia per universos gravis vitiorum colluvies detersa est.* Et lib. 3. de Virginibus: *Hoc unguentum exinanitum est super Judaeis, & collectum est à gentibus: exinanitum in Judaea, & redoluit in omnibus terris.* Rursus lib. 3. de Spiritu sancto c. 15. *Sicut inclusum in vase unguentum cohibet odorem suum: ita & Christi nomen ante ejus adventum in mundum in Israelitico populo quasi in vase aliquo claudebatur. Notus enim in Judaea Deus. Hoc verò unguentum, postquam Christus in omnem mundum suo illuxit adventu, per omnem utiq; creaturam extensum est.* Philo Carpathiorum Episcopus loc. c. *Ut ex effuso unguento tota domus benè redolet: sic & Dominus noster Jesus Christus, cum ad nos descendit, vimq; suam & potestatem Apostolis tradidit, totus mundus pietatem sanctissimè inoluit, quemadmodum unus ex iis Paulus Apostolus exclamat dicens: Christi bonus odor sumus.* Augustinus in Psalm. 30. *Unguentum misericordiae non in Hierusalem quasi in vase tenuisti, sed tanquam confracto vase unguentum diffusum per mundum, ut impleretur, quod dicitur: Unguentum effusum nomen tuum, in omnibus gentibus diffundens misericordiam tuam.* Theodoretus Comm. ad Cantic. *Quemadmodum unguentum in vase conclusum continet & ipsam odoris fragantiam, sin autem effundatur, ipsum quoq; replet aërem: Sic Dominus Christus ante passionem paucis notus erat: at posteaquam crucem, mortemq; sustinuit, ac veluti corporis vas apertum fuit, continuò beati Apostoli suavitate illâ repleti sunt, & terram percurrentes & maria trajicientes, omnibusq; Evangelium nunciantes, odoris suavitate mundum universum compleverunt.* Justus Orgelitanus Expl. Mysticâ in Cantic. Cantic. *Christi, velut oleum effusum, est nomen. Quicunq; enim Christiani à Christo nominantur, ipsiq; chrismate perunguntur, atq; in ejus nomine baptizati sancto Spiritu adimplentur, & unguentum, quod descendit à capite in barbam Aaron, id est sacer Spiritus, qui à Deo diffusus est in Christo, descendit etiam in oram vestimenti ejus, ac totam usq; ad finem Ecclesiam replet.* Beda in Comm. ad eundem locum. *Oleum non stillatum, sed effusum nomen ejus, quia scilicet de eo praecursor ejus ait: Non ad mensuram Deus dat Spiritum. Pater enim diligit filium, & omnia dedit in manu ejus. Qui etiam in electis suis olei effusi nomine non immeritò censetur, quibus in carne apparens Spiritus sui charismate largissime manavit, ita ut ea, quae in una prius gente Judaea tenebantur occulta, nunc in totius orbis fines gratiâ clara perfuderit, adimpleta jam Prophetiâ, quae dixerat: Effundam de Spiritu meo super omnem terram.* Aponius lib. 1. Comm. in Cantic. *Introducto unius veri Dei nomine, per incarnationis mysterium, recondito in corporeo vasculo, h. e. fracto clavorum & lanceae ictibus, odore ejus notitia omnis foetor Diabolicae doctrinae de toto mundo abstersus est. Et illud magnum nomen, quod in solo populo Israel erat notum, per chrismatis unctionem, nunc* totum pervadit orbem. Nempe uti *effuso vase unguenti in domo, tota domus repletur odore: ita & à tempore passionis Domini nostri Jesu Christi omnis mundus unius veri Dei Christi nominis notitia impletus probatur, ubi per omnes nationes gen-*

tium

cum quotidiè quasi odor unguenti virtutum recurrit fragrantia, Strabus Fuldensis in Glossa ordinariâ: *Nomen Jesu oleum effusum, id est, in universa terra Christi nomen prædicatur: nunc Moysi nomen auditur in gentibus, quod prius Judææ tantum claudebatur angustiis.*

(c) Eâdem die, qua conditus fuerat homo, eum peccasse atque de felicitate Paradisi in hanc lachrymarum vallem fuisse ejectum, statuerunt præter alios etiam Ephraim, Philoxenus & Jacobus Sarugensis Syri, ut refert Moses Barcepha Syrus & ipse Episcopus Parte I. Comm. de Paradiso in fine, qui & addit tribus illos id rationibus demonstrare fuisse annisos, quarum prima hæc fuerit, *quia multò facilius decipi potuerit Adamus in ipso statim initio, quàm si longiore tempore, Paradisum incoluisset*: altera, *quoniam si diutius apud animum suum meditando expendisset, imperatam sibi legem cautior factus fuisset, cum è contrario quando exiguum illic temporis spatium egit, simul ut mandatum à Deo acceperat, fraudem sibi fieri facilius, potuerit pati*: tertia, *quia credibile sit, Deum, quem Paradiso pulsurus erat, eum haud longo tempore tanta felicitate frui fuisse passum ne nimium excrutiaretur, sed mollius, minusq; ægrè ferret se tantis deliciis spoliari: solere enim Deum clementer castigationem exercere.* In præcedentibus affert adhuc alia duo eorundem argumenta, quibus idem iverint stabilitum. Alterum, quod *adhuc nihi edissent Adam uxorq;* ista die, quâ lapsi fuerunt. *Nam si vescentes ante vidisset serpens, minimè dixisset ad Evam: Verene jussit Deus, ne ederetis de arbore Paradisi. Jam vero si multo ante conditi fuissent, nequivissent adhuc absq; fame & cibo vitam tolerare.* Alterum petitum esse ex *iis*, quæ *passus est Dominus noster Christus. Ea enim emendando Adami delicto exacto tenore, respondere.* Verbi causa: *Sexto die creatus est Adam, eodem excruciatus est Dominus noster. In ejus diei initio ille est ex luto compositus, hic item ad tribunal raptus. Hora illius diei tertia inductus est Adam in Paradisum, & Servator noster tertia hora extractus est ex urbe Ierusalem humeris crucem suam bajulans: & quo tempore Adam manus protendit ad decerpendos fructus negatos, eodem Christus suas distendit super lignum. Rursus à sexta ad nonam horam exutus est Adam sua gloria noxæq; deditus: Itaque & ob crucem Christi Sol à sexta ad nonam amisso splendore, obscuratus est, atque universa creatura luctu cooperta, quasi refricata pristini casus Adæ memoria. Elapsâ denique nona horâ dissipatæ atque abactæ sunt tenebræ; quâre significabatur soluta jam tum esse ea mala, quæ genus humanum circumdederant atq; occupârant propter legem Dei ab Adamo violatam. Insuper quo tempore confossus Dominus noster lancea, eodem à Cherub custode Paradisi & arboris vitæ ablata est lancea. Deniq; qua hora pulsus est Paradiso Adamus à Deo, eadem prorsus à Christo immissa est in Paradisum anima latronis: ac proinde quo tempore dæmon videns ejectum Paradiso Adamum gavisus est, eodem & doluit, cum cerneret latronis animam in Paradisum reductam.*

(f) Sed & aliunde constat veteres Græcos non adscripsisse vocibus accentus. Veluti ex Aristotele lib. Sophist. Elench. c. 3. §. 8. ubi *ex accentu in non scriptis dissertationibus non facile esse dicit argumentationem facere sophisticam*, quod scilicet pronunciatio declaret accentum, indeq; proclive sit ex diversitate accentuum diversitatem colligere dictionum. In *scriptis*, è contrario & *poematis* facilè hanc deceptionem committi posse affirmat. Idque mox declarat exemplo ex 23. Iliad. Homeri petito, ubi Nestor instruens filium Antilochum, quo-

quomodo equorum ſeu quadrigarum curſu victoriam feliciter obtinere poſſit, inter alia præcepta, de meta loquens, indicat ipſi truncum ſive ſtipitem è terra prominentem, atque hæc uſurpat verba: τὸ μὲν ὃ καταπύθεται ὄμβρῳ. Ubi quod, ut reliquis vocibus, ita nec particulæ, ου, adjectus eſſet accentus controverſia non levis exorta inter Interpretes, quomodo particula illa accipienda eſſet, num cum accentu aſpirato, & circumflexo, an cum leni. Et nonnulli quidem priori modo acceperunt, ut οὗ idem ſit quod *ubi* vel cujus, atque hinc iſte emergat ſenſus, *ubi putreſcit imbre*, quaſi pars illius ſtipitis imbre putreſceret, pars minimè, qui ſenſus falſus eſt. Robur enim ſeu quercus, de qua illic ſermo eſt, non putreſcit imbre. Unde alii defendere conantes Homerum, non eſſe οὗ legendum dixerunt cum circumflexo, ſed οὔ cum accentu leni, quod idem ſignificat ac, *non*. Quæ ſolutio fuit etiam Hippiæ Thaſii, Ariſtotele ipſo teſte lib. de arte Poetica c. 25. Spectant quoq; huc verba iſta Quintiliani ex lib. 7. Inſtitut. Orat. c. 9. *Sic apud Græcos contendit* λέων *&* πανταλέων, *cum ſcriptura dubia eſt, bona omnia* λέοντι, *an bona* πανταλέοντι *relicta ſint.* Ex eo enim liquidò apparet voci iſti aut vocibus, πανταλεοντι, nullum olim à Scriptore, circa cujus verba nata fuit controverſia, appoſitum fuiſſe accentum. Accentu enim voci, παντα applicito hoc modo πάντα λέοντι nulla fuiſſet ambiguitas in Scriptura. Alia plura idem confirmantia alio loco à nobis ſunt adducta.

(g) Ait enim: Οὐ παροξυτόνως τῶν ζώων, ἀπὸ οὐδετέρου τοῦ ζῶου λέγεται, ἀλλὰ ζωῶν περισπωμένως ἀπὸ πληθυντικῆς εὐθείας τὸ αἱ ζωαί, *Non cum acuto* ζώων *legendum eſt à neutro* ζῶον, *quod animal deſignat, ſed cum circumflexo à voce* ζωαί *quæ ſignificat vitas.* Aſt hac monitione non fuiſſet opus, ſi nulli ζώων legiſſent. Factum autem hoc fuiſſe clarè indicat Theodoretus in Comm. ſcribens: οἱ δύο ζῶα νενοήκασιν, *quidam duo animalia intellexerunt.* Item Theophylactus, cujus hæc ſunt verba: *Quidam hic non vitas,* ζωάς, *ſed animalia,* ζῶα, *per Prophetam dici intellexerunt.*

(h) Philonis verba ex lib. 3. de vita Moſis hæc ſunt: τὸ ἐπίθεμα τὸ προσαγορευόμενον ἱλαστήριον βάσις ἐπὶ τῶν πτηνῶν δυεῖν ἃ πατρίᾳ μὲν γλώττῃ προσαγορεύεται χερουβὶμ *Operculum arcæ quod vocatur propitiatorium, baſis eſt duarum imaginum volucrium, quæ ſermone vernaculo vocantur Cherubim.* Joſephus autem lib. c. ita ſcribit: *Operculo ejus* (arcæ fœderis) *impoſitæ erant effigies duæ, quas Hebræi Cherubes appellant,* ζῶα δ' ἐστὶ πετεινὰ μορφὴν δ' οὐδενὶ τῶν ὑπ' ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια, *ea ſunt animantia volucria nova ſpecie, nec unquam cuiquam hominum viſa.* Quamvis de cætero fortaſſis negari nequeat, eos ad *bovis* ſpeciem propius acceſſiſſe. Ex animalibus enim quatuor quæ Ezechieli c. 1, 7. ſeqq. apparuerunt, uni pro facie bovis, cujus eo ipſo capite v. 10. fit mentio, ſubſequente c. 10, 14. tribuitur facies *Cherub.* *Pedes* autem non minus iſtius, ac reliquorum, *vitulinis* ſimiles fuiſſe ipſo primo capite v. 7. perhibentur. Sic enim Propheta de illis in univerſum: *Pedes eorum pes planus & planta pedum eorum, ſicut planta pedis vitulini.* Atque hinc etiam factum nonnulli eſſe putant, quod Jerobeam verum Deum *vituli* forma voluerit, coli 1. Reg. 12, 28. Qua de re videri poteſt Franciſcus Moncæjus lib. 1. de vitulo aureo, c. 6, & 7.

(i) Samuelis verba, ex l.b. Sanhedria cap. *Elu hen haggolia*, ſunt iſta: *Quinq; res defuerunt in ultimo templo, quæ in primo fuerunt.* Probant id alii ex Hagg. 1, 8. *Aſcendite in montem & ferte lignum, & ædificate Domum, & complacebo in ea,* ואכבד, veccabba, *& hono-*

honorabo eam, dicit Dominus. Quærunt enim, cur ibi desit litera ה alioquin addi solita vocibus futuri per Paragogen: & respondent, factum id ob quinq; istas res, quæ defuerunt secundo templo, quod ה quinque designet. Sic namque Glossa R. Salomoh. *Deest in hac voce litera, quæ dicitur* ה *He & significat quinq; res, quæ defuerunt in sanctuario secundo & fuerant in primo, sicut dicitur in Talmud in libro Joma, videlicet Urim & Tummim,* seu rationale judicii, *& arca & ignis, & divinitas & Spiritus sanctus*. Verba Talmud autem ex lib. Joma, ad quæ ille respicit, occurrunt, in dicti libri distinit quæ incipit Schibhat, jamim kodem iom hakkipurim, atq; ita habent: *Dixit R. Acha, quid est, quod scriptum est Agg.* 1, 8. *& complacebo in eá* ואכבד *& honorabo eam? Quid sibi vult, quod inde deest litera* ה*? Hæ sunt quinq; res quæ defuerunt inter primum sanctuarium & secundum. Sunt autem hæ, arca cum propitiatorio, & Cherub, & ignis* & *divinitas*, vel gloria Dei & *Spiritus sanctus & Urim & Tummim. Et nonne erat ibi? Erat utiq; ibi, sed non valebat,* id est erat ibi sine efficacia omni. Gemina his habentur etiam in Midrasch Schir haschirim sive in Glossa Cantici Canticorum, ubi & verba ista, quæ ex Cant. 8, 8. adduximus, exponuntur: SOROR NOBIS EST, *hi sunt ascendentes de captivitate*: PARVA, *quia fuerunt pauperes in exercitibus. Et ubera non sunt ei. Hæ sunt quinq; res, in quibus diminuta fuit Domus ultima à primâ: & hæ sunt ignis, & oleum unctionis, arca, & Spiritus sanctus, & Urim & Tummim. Hoc autem est, quod scriptum est Agg.* 1, 8. *Et placebit mihi in ea, & honarabo eam scriptum est sine* ה *quod significat quinq;*. Rursus in massechet Joma distinit: quæ incipit Hotzion eth hakkeph hæc leguntur verba: *In sanctuario secundo non fuit arca* fœderis scilicet cum propitiatorio & Cherubim. *Traditio etiam est, quod ex quo abscissa est arca, abscissa est cum ea urna manna, & lenticula olei unctionis, & virga Aaron, & amygdalæ ejus, & flores ejus, & capsula, quam miserunt Philistæi munus DEO Israel.* Atq; hinc & R. Asarias c. 52. אמרי בינה *Gratiosa Dei præsentia, & quinq; res, quæ secundum Doctores nostros c.* 1. *Massechet Joma, in templo primo fuerunt, in secundo non item, haud dubiè hoc in dignitatem inæstimabilem extulerunt*. Eadem referuntur in scholiis tàm Davidis Kimchi, quàm Salomonis Jarchi ad Hagg. 1, 8.

(k) Historiam Cyri descriptam habemus ab Herodoto lib. 1. Xenophonte in lib. de Instit. Cyri, Justino lib. 1. Beroso apud Josephum lib. 1. contra Appionem, aliisq;. Victoriam autem quam reportavit ab hostibus suis, ipsummet non sibi, sed summo ac æterno Deo acceptam tulisse, constat ex Esdræ 1, 2, ubi hæc ejus habentur verba scriptis literis exarata: *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli*. Unum enim summum esse Deum, à quo pendet universum hoc, tàm clarum ex ipso est naturæ lumine, ut etiam plurium Deorum cultores evidentiâ ejus convicti, id negare non auderent, sed venerari ejus Numen ac potentiam deprædicare cogerentur. Exemplum clarum & illustre habemus in Nabuchodonosoro Dan. 2, 47. c. 3, 28. & c. 4, 34. seqq. nec non Orpheo, qui utut Deos quamplures videlicet 360. invexisset ante, morti tamen propinquus testamento eos rejecisse atq; *unicum* solùm professus esse legitur, qui sit αὐτογενὴς atq; *cuncta creavit, neq; ulli e mortalibus unquam lumine conspectus, mortales interim conspiciat omnes*, ut memorat Justinus lib. de Monarchia Dei. Qui & ibidem ista *Sophoclis* verba refert. Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶν θεός, Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε

ἔτευξε, καὶ γαῖαν μακρὰν, *Unum profectò numen, unus est Deus, qui cœlum latamq; terram fundavit.* Sed & memorabile est, quod de Assyriis memoriæ prodidit Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 23. ita de iis scribens: *Deo quem summum maximumq; venerantur, Adad nomen dederunt. Ejus nominis interpretatio significat, unus. Hunc ergò ut potentissimum adorant Deum.* Jam addit quidem eos hunc Deum esse solem fuisse arbitratos, ast alii rem æquiore lance ponderantes deprehenderunt etiam Solem à seipso non extitisse, sed principium aliquod se superius agnoscere, quod dominium in Solem non minus, quam alia corpora, tum cœlestia, quàm quæ sub cœlo sunt, exerceat, quod cum venerari intellexisset Judæos Cyrus, non solum civitatem & templum Ierosolimitanum instaurari ab iis jussit, sed & ut orarent Deum suum pro salute regis atq; Persarum requisivit, teste Josepho lib. 2. Antiqit. c. 4. qui & eodem loco idem de Dario narrat. Sed & Alexander Magnus Deo Judæorum traditur victimas obtulisse apud eundem libro eodem c. 8. Nec non Ptolomæus Philadelphus, itidem apud modò laudatum Scriptorem lib. 12. Antiquit. c. 2. Ut taceam Augustum, Tiberium & Vitellium, de quibus idem legi potest lib. 16. Antiquit. c. 10. (6) & lib. 18. c. 6. (8).

(l) *Rerum narrat historia,* ait Hieronymus lib. 1. Comm. in Ezechiel ad c. 37. v. 16. seqq. locum, quem non multò post hic adduximus, *sub Roboam filio Salomonis duodecim tribus fuisse divisas, & duas, hoc est, Judam & Benjamin, cum Levitis ac Sacerdotibus secutos esse Roboam, qui regnavit in Hierusalem, & regnum ejus appellatus est Juda. Alias verò decem tribus, quæ dixerunt: Non est nobis pars in David, neq; hereditas in filio Isai, Hieroboam filio Nabath de tribu Ephraim, qui fuit filius Joseph, submisisse cervices, & servisse ei, appellatasq; ex magna parte populi antiquo nomine Israel, & multo tempore regnum Juda & Israel, adversum se habuisse certamina, propriisq; paruisse regibus; primasq; decem tribus captas ab Assyriis, & post aliquantum temporis eas, quæ appellabantur Juda, à Chaldæis in Babylonem ductas esse captivas: & tribum Iuda post annos septuaginta antiquæ terræ redditam: decem autem tribus, quæ vocabantur Israël, usq; hodie in montibus urbibusq; Medorum servire captivas. Præsens igitur Prophetia hæc ex ore Domini pollicetur, quod utrumq; sibi jungatur imperium, hoc est, regnum Judæ & regnum Israel, tollaturq; virga Ephraim, qui de Joseph stirpe generatus est, cum reliquis tribubus, quæ ei sociatæ sunt, & jungatur virgæ Judæ, ut nequaquam vocetur Juda & Israel, sed uno nomine appellentur Juda. - Dicit enim se assumere filios Israel de medio nationum, ad quas captivi ducti sunt: & reducturum eos in terram & montes Israel: - & appellandam unam gentem uniusq; regis regendam imperio, ut ultra non polluantur in Idolis & abominationibus suis, sed cum fuerint de captivitatis sedibus liberati, in quibus peccaverunt, omnibus vitiis esse mundandos, & futuros populum Dei, ita ut Dominus sit Deus eorum.* Jam id perfectè impletum est in Christo, quemadmodum Hieronymus ipse illic observat & multis probat: nihilominus ejus velut præludium aliquod & adumbratio præcessit sub Zerobabale duce populi reducis ex captivitate. Quamvis enim Israelitæ ita ex Assyria non redierint, ut Judæi & Benjamitæ una cum Levitis, qui selectam Domini portionem faciebant, ex Babylonia, uti colligitur ex 2. Reg. 17, 23. ubi de decem tribubus dicitur; *Translatus est Israel de terra sua in Assyrios, usq; ad hodiernum diem.* Item ex Oseæ

10, 6. ubi Deus ipse ait: *Non pergam amplius misereri Domus Israelis, ut ullo pacto condonem istis: domus autem Judæ miserebor.* Ex quo & Josephus lib. 11. Antiquit. c. 5. *Duæ tantùm,* inquit, *tribus per Asiam & Europam, sub Romano degunt imperio, decem autem tribus nunc quoq; ultra Euphraten sunt infinita hominum millia, quæ vix est numero comprehendere;* item Hieronymus in Ezech. 23. *Usq; hodie decem tribus captivæ tenentur in montibus & urbibus Medorum, ad quas translatæ sunt:* non verisimile tamen initio est omnes omnino, qui ex decem tribubus erant, Israelitas, in Assyriam fuisse translatos, sed probabile potius, saltem aliquos eorum, ipsius captivitatis tempore, in terra Israel ab ipso Assyriorum rege fuisse relictos, præsertim tenuioris conditionis, quemadmodum postea & sub Nabuchodonosore in translatione reliquarum duarum tribuum in Babyloniam factum constat ex 2. Reg. 25, 13. 22. & Jerem. 39, 10. & c. 40, 4. seqq. Credibile etiam est, quamplures eodem tempore Assyriis Samariam invadentibus se subduxisse montibus & speluncis sese abdidisse, post discessum autem eorum ad proprias urbes cum his, qui relicti fuerunt, remeasse, ad quos postea Hiskias cursores misit, qui invitarent eos, ad celebrandum Pascha in Ierusalem 2. Paralip. 30, 6. 10. seqq. Et de Josia scribit Josephus lib. 10. Antiquit. c. 6. quod non solum *regnum suum ab omni externorum Numium cultu purgatum iverit,* sed & eo peracto, *alios Israelitas inviserit, qui captivitatem, & servitutem Assyriorum evitassent, eisq; persuaserit, ut omissis impiis actionibus & religionibus externum summum Deum patrio colerent ritu eiq; soli adhærerent.* Sed & verisimile est, aliquos ex relictis istis, quo eo tutiores essent ad urbes Regum Judæ se recepisse, ibiq; Judæis permixtos habitasse. Quod jam ante hanc decem tribuum captivitatem ab aliquibus Israelitarum factum legimus, veluti temporibus Roboami 2. Paralip. 11, 16. nec non postea in diebus Asæ c. 15, 9. qui postea quidem, si non in se ipsis, in posteris tamen una cum tribubus Juda & Benjamin in Babyloniam fuere abducti, sed soluta captivitate cum iis iterum reversi. Quod Beda citatus in Glossa ordinaria colligit ex Esdræ 2, v. 70. *Consederunt Sacerdotes illi & Levitæ, & quidam ex populo, & cantores, & janitores, atq; Nethinæi in civitatibus suis, & cunctus Israel in urbibus suis.* Sic enim ad verba ista Beda: *Universus Israel, non decem tribus tantùm dicit, quas quondam vocabant Israel ad distinctionem duarum, quæ vocabantur Juda: Sed omnes generaliter redeuntes, sive de Juda & Benjamin, sive de aliis tribubus, Nam decem tribubus in Assyrios translatis & Samaritis in terram eorum substitutis quicunq; remanserant, reliquerunt & fregerunt simulacra, & integro corde Domino servire, & in templo sacrificare cœperunt, sicut scriptum est in Paralypomenon. Hi ergo qui residui cum tribu Juda & Benjamin, quibus sociati fuerant, captivati sunt, simulq; reversi in patriam & in civitates, suas, quas vacuas cum agris & villis repererunt.* Denique & hoc probabile etiam aliquos ex illis, qui à Theglath Philasare atq; hinc à Salmasanare in Assyriam abducti fuerant, postea cum Cyrus, in cujus potestatem Assyriorum pariter & Chaldæorum regnum pervenerat, edictum liberationis publicasset, Babyloniam contendisse atq; cum his, qui illic erant, ad sedes suas patrias cum gaudio remeasse. Cyri enim edictum in gratiam Hebræorum publicatum tale erat, ut non solum de iis, qui in Babylonia commorabantur, sed de aliis quoq; per universum ejus regnum dispersis Hebræis accipi posset, ceu colligere est ex Esdræ 1, 2. seqq. ubi edictum istud his proponitur verbis

verbis: *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, ipseq; mandavit mihi, ut ædificetur ei ædes in Ierusalem, quæ est Iehuda. Quicunq; ergò ex vobis ex omni populo ejus fuerit, cum eo sit Deus ejus ascendatq; Ierosolymam, quæ est in Juda, & ædificet domum Domini Dei Israelis.* Sed & additur ibidem v. 1. quod edictum hoc divulgari fecerit in *toto regno suo,* Præterea promiserat Deus reditum non tribus Juda solum & Benjamin, sed & magnæ parti saltem ex Israelitis seu reliquis tribubus non solum apud Ezechielem c. 37, 16. seqq. sed & Prophetas alios, veluti apud Oseam in calce capitis primi. *Et congregabuntur filii Juda & filii Israelis simul, ponentq; sibi caput unum, atq; ascendent de terra.* Item apud Jeremiam c. 50, 4. *In diebus illis,* hoc est, cum capta fuerit Babylon, *venient filii Israel, ipsi & filii Juda simul eundo & flendo incedent, quæsituri Dominum suum.* Et v. 18. 19. 20. *Ecce ego visito regem Babylonis & terram ejus, sicut visitavi regem Assyrium, & reducam Israel ad septa sua. - Et in diebus illis - quæretur iniquitas Israelis, & nulla erit: & peccatum Juda & non invenietur; quia propitius ero eis, quos reliquos feci:* Unde Theodoretus in c. 36. Ezechielis: *Ut omnis Israel reditum consequeretur, & pollicitus est Dominus & servavit. Nam,* ut pergit ille, *effecit, ut Cyrus omnibus reditum concederet, Sed,* quod & ipsum ille subjungit, ii *qui usitato contumaciæ morbo laborabant, imperatis restitere & suæ externam patriam prætulere,* Fieri etiam potuit, ut aliqui patriæ repetendæ quidem cupidi essent, metu tamen cum reliquis conjungi prohiberentur, tutius esse putantes, si, illis patrium solum repetentibus, ipsi ad tempus aliquod adhuc in peregrinis istis eris commorarentur atq; eminus spectarent, num reditus ex sententia reliquis esset successurus. Quod cum postea adverterent atq; Darii insuper & Artaxerxis æque munifica edicta, quorum Esdr. 6. & 7. mentio fit, in ipsorum conspectum venirent, credibile est, & ipsos reditum in patriam meditari cœpisse, ad quod & ab Esdra fuerant invitati. Testatur id Josephus lib. 11. Antiquit. c. 5. his verbis: *His literis* à Xerxe *acceptis Esdras gavisus adoravit Deum - & advocata Judæorum concione, qui apud Babylonem degebant, ac perlecta epistola, ipsam quidem retinuit: exemplar verò ejus in Mediam ad omnes suæ gentis homines transmisit, qui cognita regis erga Deum pietate, & erga Esdram benevolentia omnes vehementer sunt lætati: multi verò ex eis assumptis suis facultatibus Babylonem venerunt: cupientes reverti Ierosolymam, reliqua autem Israelitarum multitudo assuetum jam domicilium noluit relinquere.* Non divisi autem isti, qui ex Judæis & Israelitis redière, amplius fuerunt in duo regna, sed unum ducem, Zerobabalem, & Pontificem unum Josedeck agnoscentes Ierusalem ante omnia Judææ metropolin â Chaldæis vastatam restaurarunt, eamq; ac loca ei vicina, ad tribum Juda & Benjamin spectantia incoluerunt, quod non Cyrillus solum, sed & Theodoretus ac Theophylactus testantur. Sic enim Cyrillus Procemio in Zachariam: *Post reversionem è captivitate Israel non amplius divisim per Judæam & Samariam habitavit: sed in unum omnes urbem, Hierosolymam videlicet, & Judæam totam congregati sunt, regnante inter eos Zerobabale è tribu Juda & Josedeck summum sacerdotium obtinente.* Theodoretus autem in Oseæ 3. *Cum decem tribus, à regibus ex David prognatis deficientes, proprium regem sibi elegissent, post reversionem ex Babylone conjunctæ & copulatæ unum habuerunt ducem Zerobabel, ex Davidica tribu procreatum sub quo & divinitus bonorum datorum fructum ceperunt.* Quibus gemina in Comm. ad eundem locum habet

etiam Theophylactus. Sic enim ille: *Divisæ fuerunt tribus & scissa in duo regna, quorum alterum decem tribuum erat, quod Israel & Ephraim dicebatur: alterum duarum tribuum, quod Juda quidem sæpissimè, interdum verò & Benjamin appellabatur, seq; ita gesserunt, usq; dum captivæ Babylonem ductæ essent. Post reditum verò ex captivitate, sensum Dei percipientes duodecim tribus, Deumq; requirentes in unum sunt redactæ unum juxta sortiti principem Zerobabel, quem & Davidem nominaverunt, quod ex Davidicâ stirpe esset: in quo & divinitus datorum bonorum acceperunt fructum.* Quamvis verò initio non nisi illas occuparent sedes, quæ propriæ ante fuerunt prædictarum duarum tribuum, tribus inquam Juda & Benjamin, tempore tamen procedente, dono Regum, iis accessit & bona pars illius terræ, quæ ante fuerunt decem tribuum reliquarum. Constat enim ex 1. Macc. c. 5. 9. seqq. item v. 16. seqq. posthac etiam terræ *Galaad*, nec non *Galilæam*, habitans fuisse à nonnullis ad populum Dei pertinentibus. Ast terræ *Galaad* pars una Rubenitis, alteræ tribui Gad, tertia autem tribui Manasse in possessionem data erat Num. 32, 39. 40. Deut. 3, 12. seqq. Jos. 12, 6. c. 13, 11. 25. 31. *Galilææ* autem superior quidem in tribubus Naphtalim & Aser, inferior autem in tribubus Zabulon & Isaschar sitæ erant. Et de Gabinio, qui tempore Hircani Judæam in potestatem Romanorum redegit, memorat Josephus lib. 14. Antiquit. c. 10. (11), quod eam in *quinq; toparchias* sive curias fuerit partitus, atque singulis singulas assignavit metropoles, uni *Ierosolymam*, alteri *Gadaran*, tertiæ *Amathunta*, quartæ *Hierichuntem*, quintæ deniq; *Saphora*. Jam autem *Gadara* in tribu *Manasse*, non procul à tribu *Gad*: *Amathetis* verò, quæ & Emath alio nomine dicitur, in tribu *Naphtalim*: *Saphora* deniq; in tribu *Zabulon* sitæ erant.

(m) Theodoretus in Comm. *Per dua animalia alii intellexerunt Judæos & Babylonios.* Idem repetit etiam Theophylactus in Comm. Sic namq; & ille: *Alii per duo animalia Babylonios & Judæos intellexerunt, quorum in medio justitiam facere cognitus est.*

(n) Desumsit hæc Eusebius ex Abydeni, quam de Assyriorum rebus scripsit historiâ, cujus hæc sunt verba: *Megasthenes auctor est, Nabucodrosorum Herculi ipsi fortitudine præstitisse, atq; in Libyam & Iberiam impetu facto, utriusq; jam domitæ colonias in dextram Ponti plagam deportasse. Quibus peractis Chaldæi ferunt, eum conscenso palatio divinitus repentè afflatum, quod sequitur oraculum effudisse: Ille ego Nabucodrosorus, ô Babylonii, imminentem vobis calamitatem prænuntio, quam Parcis uti averruncent, nec Belus, generis nostri Auctor, nec Regina Beltis persuadere unquam poterunt. Persicus veniet mulus, qui dæmonum vestrorum usus auxilio, durum cervicibus vestrum jugum imponet.*

(o) Cyrillus Alexandrinus in Comm. ad Habac. tertium caput innuit, fuisse olim, qui verba Prophetæ ita interpretarentur, ut per *duo animalia Filium* & *Spiritum sanctum* intelligerent, in quorum medio cognoscendus esset *Deus & Pater*: Sed hanc expositionem ipse refellit: *Absurdum namq; est*, ait, *Patrem velut medium amborum horum intelligere, qui juxta ordinem confessionis sanctæ & consubstantialis primus nominatur. Nec ullo modo dicimus, Filio & Spiritui secundum appellationem præponi propterea, quod ante eos extiterit: hoc enim esset nugari & mentiri. Quin potius sentimus & credimus, eum habere Verbum coæternum, & esse, quod est, non sine Spiritu proprio. Sed simul Deus intelligitur Pater, simul statim subit animum subsistentia illius, per quam est Pater, & ipse divinus ac sanctus ejus Spiritus*

ritus

ritus. Quoniam autem quasi fons quidam est ejus, quod genuit prudenti ratione prius nominetur. Quomodo igitur inter Filium & Spiritum sanctum medius sit, despicere nequeo. Meminit verò ejusdem interpretationis & Hieronymus lib. 2. Comment. in Habacuc scribens: Hoc, *in medio duorum animalium cognosceris, multi putant de Filio intelligi & Spiritu sancto.* Ipse tamen, quemadmodum & Cyrillus modò laudatus per eum, qui in medio hic duorum animantium futura dicitur, non Patrem intelligit, sed Filium, quâ in re & alios sibi habent adstipulaotes, etiam Cyrillum Hierosolymitanum cujus hæc sunt verba ex Catech. 12. *Audisti Habacuc dicentem: Cum appropinquabant gentes, agnoscetur. Et quod signum est, ô Propheta, venturi Domini? Ille autnm dicit deinde: In medio duorum animalium,* δύο ζώων, *cognoscetur, hoc ad Dominum dicens manifestè,* τοῦτο πρὸς τὸν κύριον λέγων σαφῶς. Strabus Fuldensis autem in Glossa ordin. ad Hab. 3. amplectitur quidem & ipse hanc expositionem, mentionem tamen & ille injicit prioris istius, quum ait: *In medio duorum animalium cognosceris, id est, per Filium & Spiritum sanctum Pater intelligitur.*

(p) Gregorius Nyssenus orat. in diem Natalem Christi: *Præsepe, in quo Verbum gignitur, bestiarum est domus, ut cognoscat bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui.* Et postea: Μεσιτεύει τοίνυν ἐπὶ τῆς φάτνης τῷ βοῒ καὶ τῷ ὄνῳ ὁ ἀμφοτέρων κύριος, *Medium se in præsepi inter bovem & asinum locat utriusq; Dominus.* Gregorius Nazianzenus Orat. 38. quæ est de Nativitate Christi: *Parvam illam Bethlehem honora, quæ te in Paradisum reduxit: & præsepe odora, propter quod, cum rationis expers esses, à Verbo nutritus es. - Cognosce, ut bos, possessorem tuum, Esaias te admonet, & ut asinus præsepe Domini sui.* Ambrosius lib. 2. Comm. in Lucam. *Quod in pannis est, vides, quod in cœlis est, non vides? Infantis audis vagitus, non audis bovis Dominum agnoscentis mugitus? Agnovit enim bos possessorem suum & asina præsepe Domini sui.* Paulinus Nolanus Epist. 11. ad Severum. *In Bethlehem quoq; ubi agnoverat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, ibi principes hominum inficiati Salvatorem Deum, infames hominum amores mortesq; coluerunt.* Hieronymus Epist. 27. ad Eustachium c. 4. de Paulâ: *Inde in Bethlehem ingressa & in specum Salvatoris introiens, postquam vidit sacrum virginis diversorium & stabulum, in quo agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, ut illud impleretur, quod in eodem Propheta scriptum est: Beatus, qui seminat super omnes aquas, ubi bos & asinus calcat: me audiente jurabat, cernere se oculis fidei infantem pannis involutum, vagientem in præsepe &c.* Aurelius Prudentius lib. Cathemerinon Hymno XI. qui est ad VIII. Calend. Januarias sive, de Natali Domini: *O sancta præsepis tua Æterne Rex cunabula; Populisq; per sæclum sacra, Mutis & ipsis credita. Adorat hæc brutum pecus, Indocta turba scilicet; Adorat excors natio, Vis cujus in pastu sita est. Sed cum fideli Spiritu concurrat ad præsepia Pagana gens, & quadrupes, Sapiatq;, quod brutum fuit.* Petrus Chrysologus serm. 141. *Quæ mandat, exequitur Angelus, implet Spiritus, efficit Virtus, Virgo credit, natura suscipit, cœli narrant, annunciat firmamentum, ostendunt stellæ, magni prædicant, pastores odorant, pecora cognoscunt, attestante Prophetâ: Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. - Ecce jumenta adulantur caudis, blandiuntur auribus, linguis lambunt, & motu, quo possunt, autorem suum fatentur, contra naturam in tuam venisse naturâ.* Et serm. 156. *Cur Rex Judæorũ in præsepe jacet, & nõ decumbit in templo? Rex eperũt jumenta in præsepe, quẽ in domo suâ recipere vos spernitis. Agnovit, sicut scriptũ est, bos possessorẽ*

 suum

suum, & asinus præsepe Domini sui: Tu autem Israel Dominum Deum tuum non quæsisti. Atq; hinc Ecclesia Romana in Officio Nativitatis: *O magnum,* inquit, *mysterium & admirabile Sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum, jacentem in præsepio.* Et in Officio Circumcisionis Domini: *Jacebat in præsepio & fulgebat in Cœlo. Domine audivi auditum tuum, & timui: consideravi opera tua, & expavi in medio duorum animalium jacebat.* Hæc ex Breviario Romano p. 151. & 188.

(q) Cyrillus Catenâ Græcorum Patrum in Lucæ secundum: *Reperit hominem factum bestialem, idcircò in præsepio tanquam loco pabuli ponitur, ut vitam brutalem mutantes, ad convenientem homini perducamur scientiam, & bestiali animâ ad propriam mensam præsepiumq; accedentes, reperiamus non amplius fœnum, sed panem cœlestem, vitæ corpus* Chrysostomus homil. 1. in Lucam. *Quare in præsepio? Ut compleretur vaticinium Isaiæ Prophetæ: Cognovit bos &c. Scriptum est in alio loco: Homines & jumenta salvos facies Domine. Si homo es, panem comede, animal es, ad præsepe accede.* Titus Bostrensis ad cap. 2. Lucæ. *Reclinatur in præsepio, tum quia, ut Evangelium prodit, non erat illis locus in diversorio: tum rursum, quò nos a belluinâ illâ vivendi ratione amentiaq;, brutis animantibus propriâ, liberaret, liberatosq; ad prudentiam homine dignam transferret.* Augustinus serm. 20. de tempore c. 3. *In præsepio dignatus est poni, ut esset piorum cibaria jumentorum.* Theodoretus homil. de Nativit. Salvatoris in actis Concil. Ephes. Tom. VI in Append. c. 2. *In præsepi Dei proponitur Verbum per medium corpus, ut licentiam habeat rationalis & irrationalis participare cibo salutis. Et hoc puto etiam Propheta prius clamat præsepis hujus sacramentum narrans: Cognovit bos creatorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognovit, & populus me non intellexit. Nam licet simpliciorem sermo sensum habeat, ostendens Hebræorum indevotionem irrationabilem, potest tamen & hoc significare ostendente Domino, quia ipse sibi positus cibus irrationabilibus factus est.* Theodoretus Orat. 10. de Providentia. *In præsepi brutorum animalium mensa ponitur,* (Servator) *simul hominum brutam & ratione carentem naturam accusans, & suum erga homines amorem manifestans, quod cum ipse nutritor sit ut Deus, secundum humanitatem hominum cibus sit, qui magnâ & brutali ignoratione laborabant. Nunc verò cum brutorum ignorationem humana natura abjecerit, & rationis usum receperit, mystica illum excipit mensa, ipsa præsepii illius typus facta, & homines erudiens, quod cum homo in honore esset, non intellexit, sed comparatus est jumentis irrationabilibus, & similis factus est eis. Præsepe divinum illum & spiritualem cibum suscepit: Postquam verò ad seipsum rediit natura, & imaginem divinam sibi inesse manifestè cognovit, tunc postea super rationalem mensam cibus ille transivit.* Theophylactus in Comm. ad idem caput Lucæ *In præsepium reclinatur, ut symbolo quodam declararet, quod peregrinatus sit in hoc mundo, qui locus noster est, qui brutis animantibus comparati sumus. Sicut enim præsepe proprius brutorum locus est, ita nostrum præsepe est mundus, nos verò bruta: ut autem nos redimeret à brutorum sensu & irrationabilitate, propterea & ipse tali loco fuit reclinatus.* Euthymius ad idem ejusdem Evangelistæ caput: *Reclinavit* (mater) *ipsum* (Christum) *in præsepe irrationalium, quod ibi erat. Futurum enim erat, ut verbum pasceret nos verbo Evangelii, & ab irrationalitate ac brutalitate affectionum liberaret.*

Hie-

(r) Hieronymus Epist. 103. ad Paulinum: *Matthæus Marcus, Lucas & Joannes, quadriga Domini, & verum Cherubim, quod interpretatur scientiæ multitudo, per totum corpus oculati sunt, scintillæ emicant, discurrunt fulgura, pedes habent rectos, & in sublime tendentes, terga pennata & ubiq; volitantia.* Et Procem. Comm. in Matthæum. *Hæc quatuor evangelia multò ante prædicta Ezechielis quoq; volumen probat: in quo prima visio ita contexitur. Et in medio similitudo quatuor animalium, & vultus eorum facies hominis, & facies leonis, & facies vituli, & facies aquilæ. Prima hominis facies Matthæum significat, qui quasi de homine exorsus est scribere, Liber generationis Jesu Christi filii David filii Abraham. Secunda Marcum, in qua vox leonis in eremo rugientis auditur, Vox clamantis in deserto. Tertia vituli, quæ Evangelistam Lucam à Zacharira sacerdote sumsisse initium præfigurat. Quarta Joannem Evangelistam, qui assumptis pennis aquilæ, & ad altiora festinans de verbo Dei disputat.* Videri potest idem & lib. 1. Comment. in Ezechiel Andreas Cæsariensis cap. 10. Comm. in Apocalyps. Joannis. *Per quatuor animalia aut quatuor* intelliguntur *elementa, ex quibus homo coagmentatur: aut Dei in res omnes, sive illæ in cœlo, sive in terra, sive in mari, sive sub terra existant, dominatus: aut quatuor primariæ virtutes: aut quatuor Evangelia, aut, quod aliis magis probatur, utrumq; simul.* Gregorius Magnus homil. 2. in Ezechiel. *Quod in medio ejus, sive electri, sive ignis* dicitur similitudo, visa fuisse *quatuor animalium, nihil obstat intelligi, quia quatuor hæc animalia, sancti scilicet Evangelistæ, & ex Domini incarnatione ad fidei virtutem solidati sunt, & in igne persecutionis multis tribulationibus afflicti.* Primasius lib. 1. in Comm. in Apocalyps. cap. 4. *Quatuor animalia sunt evangelistæ quatuor, quibus propter congruentiam narrationis in singulis eminentem, specialis videtur coaptari proprietas sicut quidam voluerunt, Matthæo hominis, Marco leonis, Lucæ vituli, aquilæ Joanni. Cum autem omnium unum sit evangelium, ideò quatuor principaliter demonstrantur, propter quatuor Paradisi flumina, quibus orbis irrigari traditur universus, sicut horum prædicatione instruendus totus creditur mundus.*

(s) Augustinus Orat. contra Judæos, Paganos & Arianos c. 13. quærit: *Quid est, in medio duorum animalium cognosceris? & respondet, posse id idem esse ac in medio duorum testamentorum.* Et serm. 100. de tempore: *Quid ait in medio duum animalium cognosceris hoc sentiendum est, quod sit in medio veteris testamenti, & in medio novi: id est, intus in interiori & spiritali intellectu, non in litera, quæ non solum Judæos, sed & hæreticos omnes consuevit occidere sed in Spiritu, qui omnes Christianos spiritualiter intelligentes vivificat. Hoc est ergò in medio duum animalium cognosceris, in interiori sensu novi sive veteris Testamenti.* Cyrillus Alexandrinus in Comm. ad Habacuc scribit, quod eandem expositionem etiam aliqui fuerint amplexi, qui non duo animalia sed δύο ζωὰς duas vitas legerunt. Sic enim ille: *Alii duas vitas esse dixerunt novum & vetus Testamentum, in quorum medio Christus cognoscitur.* Strabus Fuldensis in Gloss. ordinaria ad Habac. 3. *Christus agnitus est* inter dua animalia, id est, *inter dua animalia, quæ vitalia spirant.*

(ss) *Duo*, inquit Augustinus rursum serm. 100. de tempore, *miræ magnitudinis uvam in phalanga deferentes ad filios Israel, duo ista Testamenta non incongruè significasse creduntur, quia quomodo in medio duorum illorum uva exhibita legitur, ita in medio duum Testamen-*

mentorum Christus Dominus evidenter agnoscitur, secundum illud, quod scriptum est, in medio duum animalium cognosceris, id est, in medio novi vel veteris Testamenti. Alii tamen per duos istos exploratores malunt designatos fuisse duos utriusq; testamenti populos, Judaicum scilicet & Christianum. Veluti Ambrosius serm. 18. de sanctis scribens: *Duo in phalanga portantes uvam duo populi demonstrantur, Christianus utiq; & Judæus. Et sicut mos est portantium, unus præcedens, alter subsequens: ita prior Judæorum designatur populus, Christianorum secundus. Et sicut antecedens quod portat, non videt, & retrorsum id semper habens quâdam dorsi aversione contemnit: qui autem sequitur, semper id oculis perspicit, semper custodit obtutibus, semper corporis vicinitate potitur: ita ergò Judæus, & Christianus populus. Judæus enim prior est, Christum in lege portat, & nescit, & retrorsum eum ponens, quâdam dorsi aversione contemnit. Unde ait Propheta: Obscurentur eorum oculi, ne videant, & dorsum ipsorum semper incurva. Christianus verò sequens populus Christum semper oculis aspicit, semper custodit obtutibus, & quâdam graduum suorum vicinitate complectitur: & quanto eum ille populus parvo itinere post se relinquit, tanto eum iste directo cursu festinat atingere.* Ita & Isidorus Hispalensis Enarr. in Num. capite 11. Beda in Num. 13. Rupertus lib. 1. Comm. in Numer. c. 37. aliiq; plures.

(t) Unde vox *Cherub*, cujus pluralis est Cherubim, origenem habeat, dissentiunt Scriptores. Quidam putant eam conflatam ex Caph litera servili, quæ similitudinem significat, & רְבְיָ, *puer* seu adolescens, quasi Cherubim inde dicti sint, quod formam seu figuram habuerint puerorum. Cujus opinionis mentionem facit Aben Ezra ad Gen. 3, 24. nec non R. David Kimchi in Dictionar. Sed & in Talmud eadem reperitur approbata Chagiga fol. 13, 2. ubi hæc occurrunt: *Quid est Cherub? idem quod* כְּרַבְיָא *puer crescens.* Alii autem eam derivant ex prædicta servili litera כ & רב, quasi *Cherub* idem sit, quod כְּרָב, *cherab*, *quasi magister*, pollens scilicet præ aliis sapientia. Quo forsan respexit & Philo Judæus, qui lib. 3. de vita Mosis *Cherubim* idem notare ait, quod ἐπιστήμη πολλή, *scientia multa.* Qua in re adstipulantes sibi habet quamplurimos ex antiquis Ecclesiæ Doctoribus. Sic enim Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum: Ἐθέλει τὸ ὄνομα τῶν χερουβὶμ, δηλοῦν ἐπίγνωσιν πολλήν. Nec aliter Origenes homil. 5. in Num. cujus hæc sunt verba: *Cherubim in nostra lingua multitudo scientiæ interpretatur.* Sed & Hieronymus vocabulum hoc exponit *multitudinem scientiæ* Epist. 103. ad Paulinum, item in c. 6. Esaiæ, & c. 10. ac 28. Ezechielis, Chrysostomus homil. 3. contra Anomœos πεπληθυσμένην γνῶσιν, *multiplicatam scientiam.* Augustinus in Psalm. 79. *plenitudinem scientiæ*, Deniq; Dionysius, Areopagita qui putatur lib. de cœlesti Hierarchiâ c. 7. πλῆθος γνώσεως, ἢ χύσιν σοφίας, *copiam cognitionis sive sapientiæ diffusionem.* Alii deniq; nomen hoc per metathesin deducunt à voce רכוב, *rechub*, quæ *currum* significat, aut plaustrum. Passim enim in Scripturis sacris ut *vectores* Dei Cherubimi lauduntur, Veluti loco ejus, quod Habacuc c. 3, 8. dicitur. *Qui ascendis super equos duos, & quadrigæ tuæ salvatio*; David Psalm. 18. 11. ita habet: *Ascendit super Cherubim, & volavit.* Et Psalm. 80, 2. idem: *Qui*, inquit. *sedes super Cherubim, manifestare coràm Ephraim, Benjamin, & Manasse.* Unde Hieronymus ipse in c. 28. Ezechielis. *Cherub genere masculino numero singulari, & plurali dicuntur Cherubim, qui interpretantur scientiæ multitudo, super quibus requie-*

quiescit & sedet Deus, & hoc curru utitur, dicente Propheta ad eum: Qui sedes super Cherubim, manifestare. Et in alio loco: Ascendit super Cherubim, & voluvit super pennas ventorum. Sed quicquid ejus rei sit, id in confesso positum est apud non paucos Christianos Doctores: duos istos Cherubinos, qui in extremitatibus arcæ fœderis consistebant atq; passis alis propitiatorii, operculum obvelabant Exod. 25, 20. *sanctos angelos* designasse, *cupientes* veluti intentis oculis *introspicere in mysteria Servatoris* 1. Pet. 1, 12. Sic enim Gregorius Nyssenus lib. de vita Mosis: *Ait* Apostolus *de unigenito, qui nomine tabernaculi nuncupatur, quod in eo creata sunt omnia, visibilia & invisibilia, throni, potestates, principatus, dominationes, virtutes: Quas ob res columnæ argento atq; auro refulgentes, & vectes ac annuli, Cherubim quoq; illa, quæ suis arcam contegunt alis, cæteraq; omnia quæ ad sustinendum contegendumq; tabernaculum describuntur, si quis ad superius respicit, angelorum est multitudo, in tabernaculo ipso conspecta, quo corporea hæc secundum Dei voluntatem sustinentur atq; reguntur. In illo enim tabernaculo veri vectes nostri & habitant, & sunt, qui ad ministerium mittantur propter futuros salutis hæredes, qui sicut quidam annuli in animos salvandorum immittuntur, ad sublimitatem virtutis ad terram dejectos elevantes. Hunc autem altiorem esse sensum Scripturæ in hoc loco, inde patet, quod Cherubim illa materialia suis alis tegebant mysteria, quæ in arca erant. Nam id nomen iis virtutibus attribuitur, ut Esaias & Ezechiel ajunt, quæ in divinæ majestatis contemplationi sunt ocupatæ. Arca verò fœderis alis ipsorum Cherubim contecta hic illud dicitur, quod apud Esaiam facie significatur. Nam ut arca hic, ita ibi facies Cherubicis alis contegi affirmatur.* Theodoretus Quæst. 60. in Exodum de tabernaculo loquens: ἦν ἐκεῖ, inquit, τὰ τῶν χερουβίμ εἰκάσματα, τύπον τῶν ἀσωμάτων δυνάμεων ἔχοντα, *Erant ibi effigies Cherubim, virtutes incorporeas repræsentantes.* Isidorus Palusiota lib. 4. Epist. 73. *Arca quidem, & propitiatorium, quod erat arcæ operculum, imago ac typus fuit hominis divina oracula custodientis, & proprium habentis Deum & à divinis virtutibus,* ὑπὸ τῶν θείων δυνάμεων, id est Angelis *custoditi, ut Psalmorum scriptor ait: In corde meo abscondi oracula tua. Quam ob causam etiam dicebat: In umbra alarum tuarum proteges me, quomodo scilicet ex divinis virtutibus Cherubim alis protegebant & arcam & propitiatorium: vel potius Christi, qui legem implevit, quiq; factus est propitiatio pro peccatis nostris, signa ostendebat evidentissima: qui legem implens, sic expiaturus erat peccatum omne mundi. - Cherubim verò, qui erant thronus & currus Dei (scriptum est enim, qui sedes super Cherubim, manifestare) illum ostendebant, cui conditum erat templum, quod loco capi & figura exprimi non possit.* Ad Angelicas ergò virtutes, per duos istos Cherubinos adumbratas, putant aliqui Patrum respexisse & Habacuc Prophetam, quando inter duo animalia Christum per propitiatorium designatum cognitum fore prædixit. Cujus expositionis meminit Theodoretus in Comm. scribens: *Quidam per duo animalia ex incorporeis virtutibus, eas quæ divinæ gloriæ appropinquant, Cherubim & Seraphim intelligunt.* Fusius autem eam pertractat Cyrillus, Alexandrinus in Comm. scribens: *Factus est Dominus noster Jesus Christus propitiatio per fidem. - Per ipsum enim liberati ab omni peccato propitium & accessu facilem nacti sumus patrem. - Quoniam autem vetera illa typi reverâ & figura futurorum in ænigmitis expressa extiterunt, agedum consideremus quædam, quæ fiebant in sancto tabernaculo à Patre, & ex propitiatorio filium Dei significatum demonstremus.*

Y *Jussit*

Jussit igitur universorum Dominus arcam fieri & candelabrum & mensam in sancto tabernaculo. Adhæc propitiatorium ex auro, & purpura & bysso retorta & cocco perneto, ante sacram arcam pendebat. Postea duos Cherubim ad dexteram & sinistram aureos facies sibi obvertentes super propitiatorio constituit. Res involuta est, & mysterium rei in Christo peractum continet. Verbum enim caro factum est & constitutum à Patre propitiatorium non abjecit tamen quod erat, sive divinitatem, sed etiam sic potestatem & Deo gloriam convenientem habet, indeq; & supernæ virtutes eum circumstant, præscripta sibi officia peragentes. Idcircò Cherubim propitiatorium tegunt & ipsum assiduè intuentur. Stat ergò in medio duorum animalium Dominus hoc est, Cherubim, & nomen ipsi propitiatorium & verus est sermo. Pariter & Theophylactus in Comm. *Quidem hic non vitas, sed animalia per Prophetam dici intellexerunt, Cherubim videlicet gloriæ, quæ obumbrabant propitiatorium, alterum quidem à dextris, alterum à sinistris: è quorum medio divina vox egressa, principi sacerdotum Dei voluntatem indicabat, quando in penetrale ingrederetur. Est autem & Dominus Jesus assumpta humanitate propitiatorium nostrum factus, ut Apostolus testatur, tanquam animam suam pro nobis ponens, nosq; Deo Patri reconcilians: quia verò Deus sub Cherubim stipatus manet, ideò dicit: O Domine, tu verè nostrum propitiatorium eris. Te enim præsignificabat, in medio duorum Cherubim stans legale illud propitiatorium.* Sed & ex Latinis Strabus Fuldensis in Glossa ordinaria: *Per duo animalia possunt intelligi duo Cherubin, qui contra se respiciunt, in medio habent oraculum; vel duo Seraphim, quorum alter ad alterum clamat mysterium Trinitatis, quorum unus missus mundat labia Prophetæ & dicit: Ignem veni mittere in terram. & quid volo nisi ut ardent?* Quanquam nec desint inter veteres Doctores de Patre oraculum hoc Propheticum exponentes, qui per Cherubinos reliquos duas divinitatis personas accepêre, teste Hieronymo in Comment. cujus hæc sunt verba: *Multi putant* duo animalia *de filio intelligi & Spiritu sancto. Quæ quidem & duo Seraphim in Esaia, & duo Cherubim scribi interpretantur in Exodo: quæ contra se respiciunt, & in medio habent oraculum, & in Esaia velantia caput & pedes Domini in præsenti tantum seculo volent. & alter ad alterum mysterium inclament trinitatis, & mittatur unus de Seraphim, quod interpretatur ardens, & veniat in terram & mundet Prophetæ labia, & dicat: Ignem veni mittere super terram, & quam volo ut ardeat?* Sed simplicior est interpretatio prior.

(u) Augustinus Orat. contra Judæos, Paganos & Arianos c. 13. *Quid est, in medio duum animalium cognosceris: nisi aut in medio duum testamentorum, aut in medio duorum latronum, aut in medio Moysi & Heliæ, cum eo in monte sermocinantium?* Et lib. 18. de Civitate Dei c. 32. *In medio duorum animalium cognosceris quid est, nisi aut in medio duorum testamentorum, aut in medio duorum latronum, aut in medio Moysi & Heliæ, cum eo in monte sermocinantium?* Strabus quoq; in Glossa ordinaria verba hæc: *Inter duo animalia cognosceris, eum etiam ait habere posse sensum, quod Christus inter duos latrones sit agnitus,*

(W) Solere in Scriptis nonnunquam animalium appellatione etiam Deum designari, aut certam aliquam divinitatis personam, satis est notum. Veluti Amos c. 3, 8. ait: *Cum rugit leo, quis est, qui non timeat?* id est, *cum Dominus per Prophetas comminitur*, sicut exponit Nicolaus de Lyra. De Christo quoque Dei filio constat, quod *leo* vocetur *de tribu Judà*

Apoc.

Apoc. 5, 5. Spiritus ſanctus autem *turturis* appellatione venit Cant. 2. 12. nec non *columbæ* Pſal. 68, 14. ubi per columbæ pennas dona intelliguntur Spiritus ſancti. aut etiam *doctores,* qui funguntur miniſterio Spiritus ſancti: 2. Cor. 3, 6. quippe *per quos exaltatur Eccleſia & ſemper volat ad alta: quorum prædicatione in cœlum fertur,* ut Gloſſa ordinar. exponit. Plura talia occurrunt apud Eucherium Epiſcopum Lugdunenſem in lib. Formularum Spiritalis intelligentiæ c. 4.

(x) Vocabat Angelos ſibi obvios Jacobus *caſtra Elohim,* quod vox hîc non minus Angelos ipſos, quàm Deum deſignare poteſt. Notum enim eſt, quod & illi paſſim Elohim dicantur, veluti Pſal. 97. 8. *Procumbite coram eo Elohim, dii univerſi.* Quod Apoſtolus ita exponit Hebr. 1, 6. *Adorent eum omnes Angeli Dei.* Unde caſtra Elohim, hîc idem eſſet, quod caſtra Angelorum. Quam ſententiam expreſſit Chaldæus Interpres Jonathan, referens, *caſtra Angelorum ſanctorum, quæ miſſa erant,* vel qui miſſi erant *à Deo.* Vocat autem eos *caſtra,* quod in magna multitudine formâ ac ordine militari ei apparuerunt, ſicut Eliſæo 2. Reg. 6, 17. & quidem in duali numero Mahanaim, *duo caſtra,* quod illis veluti duobus exercitibus ex utroq; latere, ſive ante & pone fuerit circumſeptus, juxta illud Pſalmi: *Caſtra metantur Angeli circum eos, qui ipſum Deum timent, & eripit eos,* Pſal. 34, 7. Ubi Hebræorum alii, interq; eos R. Salomon, exiſtimant, duo caſtra inde appellata, quod Angeli, terræ Syrorum cuſtodes, ex Meſopotamia Jacobum ad id usq; loci deduxerint, hinc verò alii, terræ Cannan cuſtodes, redeuntem læto occurſu exceſſerint atq; ad parentes duxerint. Putant enim Hebræi cuiq; provinciæ ac regioni ſuos angelos eſſe aſſignatos, qui ejus curam gerant. Quæ & Patrũ plerorumq; eſt ſententia id confirmantium ex Deut 32. 8. ubi LXX. Ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέλων Θεοῦ *conſtituit terminos juxta numerum Angelorm Dei.* Quâ de re videndi ſunt Origenes hom. 35. in Lucam, nec non homil. 16. in Geneſin & 8. in Exodum Euſebius 4. de Demonſtr. Evang. 6. Hieronymus in c. 7. & Theodoretus in c. 10. Daniel. Ruffinus in Expoſ. Symboli, Dionyſius Areopagita l. de cœleſti Hierarchiâ c. 9. aliiq; plures.

(y) Theodorus apud Theodoretum quæſt. 40. in Geneſin per Cherubim Gen. 3, 24. intelligit *ſpectra* aut *terribiles quasdam animalium formas, quæ terreſacerent homines ingredi volentes:* ſed rectius alii locum de *Angelis* accipiunt in hunc finem ante Paradiſum poſitos, ut ab ingreſſu homines arcerent. *Præcepit,* ait Chryſoſtomus homil. 18. in Geneſin, videlicet Deus, *ut virtutes illæ Cherubim cuſtodirent viam, quæ illuc in Paradiſum inducit.* Et Auguſtinus lib. 11. de Geneſi ad literam c. 40. *Hoc per cœleſtes utiq; poteſtates etiam in Paradiſo viſibili factum eſſe credendum eſt, ut per angelicum miniſterium eſſet illic ignea quædam cuſtodia: non tamen fruſtra factum eſſe, niſi quia ſignificat aliquid etiam de Paradiſo ſpiritali, non eſt utiq; dubitandum.* Pariter & Rupertus lib. 3. Comment. in Geneſin c. 32. *Cherubin nomen eſt Angelicarum fortitudinum. Hæc ante Paradiſum ſunt poſita ad cuſtodiendum ligni vitæ aditum.* Contentit his ex Judæis AbenEzra, qui Cherub quidem aliàs *generalem* ait eſſe *vocem ad omnem figuram,* hîc autem per Cherubim *notos angelos* ſignificari, quorum ſepten. Rabbini iſſe volunt, qui id inde probant, quod hic terminatio ſit Pluralis, quæ ad minimum duos notat, litera ה autem à fronte addita quinq; deſignet, ut refert Fagius ad Gen. 3, 24. Sed & R. Salomo per Cherubim hic angelos intelligit, non tamen bonos, ſed malos. Exponit enim Cherubim

 ange-

angelos exterminatores. Sed sine ratione. Nuspiã enim in malum sensum usurpatã hãc legimus: neq; malorũ solum, sed & bonorũ spirituũ ministerio in infligendis pœnæ malis utitur Deus.

(z) Ἀνακεφαλαιοῦσθαι propriè idem est, quod *varia ac dispersa in summam redigere* aut *summatim colligere.* Unde ἀνακεφαλαίωσις Oratoribus dicitur summaria repetitio eorum, quæ aut diffusè fuerant tractata & in longum diducta. De qua apud Quintilianum lib. 6. Instit. Orat. c. 1. hæc leguntur verba: *Rerum repetitio & congregatione* (in peroratione videlicet) *quæ Græcè dicitur* ἀνακεφαλαίωσις, *à quibusdam latinorum enumaratio, & memoriam judicis reficit, & totam simul causam ponit ante oculos. -In hàc quæ repetemus quàm brevissimè dicenda sunt, & quod græco verbo patet, decurrendum per capita.* Et Hieronymus in Comment. ad Ephes. 1. *Et Oratores in epilogis vel ante epilogos in fine causarum propter memoriam judicum, & eorum, qui audiere negotia, recordationem, id est,* ἀνακεφαλαίωσιν *solent facere, ut quæ prius latius disputarant, brevi postea sermone comprehendant, & unusquisq; recordari eorum incipiat, quæ audivit.* Ἀνακεφαλαιοῦν quoq; dicuntur ii, qui calculos subducunt omnia in unam summam revocantes seu repetito calculo summam contrahentes & ex pluribus numeris unum facientes. Verbi causâ: *Viginti denarios* (sunt & hæc verba Hieronymi loc. cit.) *erogavi rursum quinq; & alios quindecim, triginta quoq; & ter decies per diversa tempora dedi. Hæc si unum voluero supputare, centenarii mihi numeri summa succrescit, & in uno numero hebebo omnia, quæ ante descripsi.* Hinc porrò ἀνακεφαλαιοῦν quoq; per translationem dicuntur qui dispersos in unum colligunt, veluti qui milites dispersos in unum agmen contrahunt & sub unum ducem reducunt, ceu caput unum. Et hoc ipso sensu Christus dicitur *omnia,* quæ in *cœlis* & *terris* sunt recapitulasse, id est, homines & angelos, qui à se invicem avulsi erant, hostilem erga se affectũ gerentes, ad unum caput revocasse, eidemq; duci ac dominatori subjecisse, qui est ipse Servator. Quo respiciens Irenæus lib. 3. c. 18. scribit: *Unus Christus Jesus Dominus noster veniens per universam dispositionem, & omnia in semetipso recapitulans: -ut sicut in supercœlestibus & spiritalibus, & invisibilibus & corporalibus principatum habeat, in semetipsum primatum assumens, & apponens semetipsum caput Ecclesiæ, universa attrahat ad semetipsum apto in tempore.* Chrysostomus homil. 1. in Epist. ad Ephes. *Unum omnibus posuit caput, nempe Christum secundum carnem, omnibus inquam & angelis & hominibus illis caput dans quod secundum carnem est, istis verò verbum Deum. Quemadmodum si quis de domo quapiam partim quidem marcidè, partem verò robustè habente diceret: Domum hanc iste restauravit, hoc est, firmiorem fecit, firmiorem crepidam supposuit: ita & hic Deus sub unum caput reduxit omnes. Nam ad hunc modum utiq; fit unio, ad hunc modum fit fortis contractio, quando sub unum caput omnia coacta insolubili quodam & invicto nodo è supernis continentur.* Primasius Comm. in Ephes. 1. *Restaurantur, quæ sunt in terra, dum nos per mediatoris nostri sanguinem reconciliationemq; reparamur. Reparantur cœlestia, cum de salute nostra gaudium nascitur angelorũ.* Theopylactus in Comm. *Dissecta erant cœlestia à terrestribus, nec habebant caput unum. Etsi enim juxta creationis rationem unus erat Deus omnibus, secundum tamen rationem vendicationis & peculiaris cujusdã familiaritatis non item. Proposuit itaq; Pater consummare cœlestia atq; terrestria, hoc est, unum caput imponere omnibus Christum, Angelis quidem secundum incorpoream naturam, hominibus verò secundum carnem. Dicitur enim anacephalæosis, succinctè & summatim dicere, quæ prolixius acta sunt. In Christo igitur recapitulavit Pater, hoc est, abbreviavit*

viavit, quæ longo tempore despensata erant, verbum in justitia perficiendo & abbreviando. Oecumenius in Comm. *Ut conjungeret, uniret, unum caput angelis & hominibus exhiberet Christum. Divisi erant angeli & homines: conjunxit ergò illos & univit per Christum.* Anshelmus in Comm. *Ea, quæ sunt in cœlis, sunt instaurata, id est, in melius commutata in Christo, id est, in Christi operatione, quia in revelatione mysterii incarnationis Dominicæ receperunt angeli quandam in melius promotionem. Sed & gaudium eorum crevit, cum homines in suum consortium cœpissent recipere. Non enim pro angelis mortuus est Chistus. Sed ideò etiam pro angelis fit, quicquid hominum per ejus mortem redimitur & liberatur à malo, quia cum eis quodammodò redditur in gratiam post inimicitias, quas inter homines & sanctos angelos peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione ruinæ illius angelicæ damna reparantur.*

(Aa) Origenes homil. 13. in Lucam: *Bos animal mundum est, asinus animal immundum. Cognovit asinus præsepe Domini sui. Non populus Israel cognovit præsepe Domini sui, sed immundum animal ex gentibus. Israel verò me non cognovit, & populus meus me non intellexit.* Gregorius Nyssenus Orat. in Natalem Christi: *Præsepe in quo verbum gignitur, bestiarum est domus, ut cognoscat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Per bovem intellige illum, qui legis jugo subjectus est: per asinum autem, quod est animal ferendis oneribus natum, eum, qui simulacrorum cultus crimine est onustus. -Medium igitur in præsepi se inter bovem & asinum utriusq; Dominus locat, ut medium parietem maceriæ solvens duos condat in semetipso, in unum novum hominem ab altero grave legis jugum eripiens, alterum simulacrorum cultus onere liberans.* Gregorius Nazianzenus Orat. 38. *Cognosce, ut bos, possessorem tuum, &, ut asinus, præsepe Domini tui, sive mundus quis jam sis ac legi subjectus rectamq; doctrinam ruminans, atq; ad sacrificium idoneus, sive etiam adhuc immundus, ac cibo & sacrificio inutilis, Ethnicæq; partis.* Ambrosius lib. 2. Comm. in Lucam. *Asinam illam irrationabilem non succo deliciarum, sed succo naturalis alimoniæ præsepia sancta paverunt. Hic est Dominus, hoc præsepe, quo nobis divinum mysterium revelatum est, irrationabiles gentes pecudum intra præsepia more viventes, alimoniæ sacræ ubertate pascendas. Agnovit ergò asina, species scilicet & forma gentilium, præsepe Domini sui. Et ideo dicit, Dominus pascet me, & nihil deerit.* Hieronymus in Esaiæ primum. *Bos juxta anagogen refertur ad Israel, qui legis portavit jugum, & mundum animal est. Asinus peccatorum onere prægravatus gentium populus accipitur, cui Dominus loquebatur: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos.* Petrus Chrysologus serm. 159. *Accedunt illi,* Pastores, *de proximo, hi,* Magi, *veniunt de longinquo, utriq; tamen ad unum, eundemq; fidei locum, quia devotione conveniunt, ibiq; Regem Christum oppositum ante duo Prophetica illa jumenta, duorum videlicet populorum typum figuramq; gestantia intuentur, admirantur, agnoscunt. Agnovit enim bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui. Agnovit enim bos Judæus jugo legis excusso: agnovit & asinus Paganus stultitiæ feritate deposita: ille deserens superfluum observationis laborem, hic relinquens vagum superstitionis errorem. Uterq; agnovit, quia uterq; ad unum præsepe Domini epulaturus accessit, epulaturus non fœnum mortis, sed cibum salutis* Gregorius Magnus lib. 7. Moral. in Jobum c. 4 ad verba Jobi ex c. 6, 5. *Nunquid rugiet onager, cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit?* ita scribit: *Quid per onagrũ, i.e. agrestẽ asinũ, nisi gentilis populus designatur? qui sicut natura extra stabula disciplinæ edidit, ita vagus in voluptatẽ suarũ campo permansit.*

Quid

Quid per bovem, nisi plebs judaica significatur? quæ jugo supernæ damnationis supposita, ad spem proselytos colligens, per corda, quæ valuit, vomerem legis traxit. Sed beati Job vitâ attestante cognoscimus, ut expectasse Redemptoris adventum, multos etiam ex gentilibus credamus. Et nascente Domino, Simeone in Spiritu in templum veniente, didicimus, quanto desiderio ex plebe Israeliticâ sancti viri incarnationis ejus mysterium videre cupierunt. Unde & per eundem Redemptorem discipulis dicitur: Dico vobis, quod multi justi & Prophetæ desideraverunt videre quæ videtis & non viderunt. Herba ergò onagri & fœnum bovis est hæc ipsa Mediatoris incarnatio, per quam simul gentilitas & Judæa satiatur. Quia enim per Prophetam dicitur: Omnis caro fœnum, Universitatis conditor ex nostra substantia carnē sumens fenum fieri voluit, ne nostra in perpetuum caro fenum remaneret. Tunc ergò herbam onager invenit, cum gentilis populus gratiam divinæ incarnationis accepit. Tunc bos vacuum præsepe non habuit, cum plebi Judaicæ ejus carnem expectanti lex exhibuit, quem diu expectatum prophetavit. Unde & natus Dominus in præsepe ponitur, ut videlicet signaretur, quia sancta animalia, quæ jejuna diu apud legem inventa sunt, incarnationis ejus fœno satiarentur.* Strabus Fuldensis in Glossa Ordin. ad Esaiæ 1. *Bos ad Israel refertur, qui legis portavit jugum quasi animal mundum. Asinus significat gentilem populum peccatorum onere gravatum.* Et mox: *Asinus gentilis est vel conversus lascivus, ante immundus, peccatis oneratus, qui incarnationem Christi credidit: qui natus statim reclinatus est in præsepio, ut carnis suæ fœno reficeret, universos.* Et ad Jobi sextum *Asinus est gentilis populus, quem sicut natura extra stabula disciplinæ edidit: ita vagus in campo voluptatum permansit. Bos Judæus, qui jugo Dei suppositus, proselytos colligens, per corda, quæ valuit, nomen (vomerem) legis traxit. De utroq; populo multi ut & Job & Simeon adventum Christi expectaverunt. Herba & fœnum eorum est incarnatio, quâ satiantur. Omnis enim caro fœnum, Cujus gratia refectus onager jam non gemit. Et bos non habet præsepe legis vacuum, cum accepit, quæ ipsa lex prædixit. Unde natus in præsepe ponitur ut jejuna in lege animalia fœno carnis reficeret.* Rupertus Comm. in Job. 6. *Nunquid rugiet onager, id est, gentilis populus, qui quasi onager, id est, agrestis asinus, nullis præceptorum Dei vinculis, nullis disciplinæ tenetur stabulis, nunquid, inquam, rugiet, id est, jejunus, ut nunc a verbo Dei gemet, cum habuerit herbam, id est, cum Redemptoris gratiam acceperit? Aut mugiet bos, id est, Judaicus populus, qui jugum legis consuevit trahere, nunquid mugiet, id est, nunquid dices, putas videbo? putas durabo? putas hic me inveniet illa nativitas? Nunquid, inquam, sic mugiet, cum ante præsepe plenum steterit, id est, cum ille carnem suam comedendam & sanguinem suum bibendum dederit pleno præsepi, id est, in sancto altari.* De his ergò duobus populis, Judæis, inquam, & gentibus etiam verba Habacuc Prophetæ, *inter duo animalia cognosceris*, aliqui antiquorum Ecclesiæ Doctorum interpretantur, non Hieronymus solum, sed & alii. Meminit enim ejusdem expositionis quoq; modo laudatus Auctor Glossæ ordinariæ in hunc Prophetam, quam scribit: *Simpliciter Christus inter duos latronos agnitus est: vel à Judæis & gentibus hinc inde eum cingentibus.* Sed repetit eandem etiam Rupertus lib. 3. Comm. in Habacuc.

(bb) *Intelligentes hoc præsepe nitamur cognoscere Dominum & digni fieri scientia ejus, assumere quoq; nativitatem & resurrectionem carnis ejus, sed & inclytum ac secundum majestatis ejus adventum,* ait Origenes homil. 13. in Lucam. Et Petrus Chrysologus serm. 141.

Pasto-

Pastores adorant Deum in carne manifestatum, *pecora cognoscunt, attestante Prophetâ: Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Tu homo, si non mox cum angelis, agnosce vel tardissime cum jumentis: ne dum moraris, ipsis jumentis, quibus ante comparatus fueras, postponaris. Ecce jumenta adulantur caudis, blandiuntur auribus, linguis lambunt, & motu, quo possunt, autorem suum fatentur contra naturam in tuam venisse naturam: & tu cum Judæis discutis, carpis, qui excluserunt à diversoriis suis Dominum suum, quem jumenta suis in præsepibus susceperunt.*

(cc) Origenes homilia 11. in Numeros: *Nomen Israel pervenit usq; ad angelicos ordines, nisi quia multi verius illi appellabuntur Israel, quanto verius illi sunt mens videns Deum. Hoc enim Israel interpretatur.* Et lib. 4. περὶ ἀρχῶν c. 2. *Israel mens videns Deum, vel homo videns Deum interpretatur.* Pariter & Cyrillus Alexandrinus in c. 45. Esaiæ: Διερμηνεύεται τὸ Ἰσραὴλ νοῦς ὁρῶν Θεόν, *Exponitur Israel mens videns Deum. Videt autem Deum mentis oculis, qui Dei ac Patris characterem, nimirum filium aspicit.* Isidorus Hispalensis gemina his habet lib. 7. Sic enim ille: *Israel*, inquit, idem notat, *quod vir videns Deum. Tunc enim hoc nomen accepit, quando totâ nocte luctatus vicit in certamine angelum & oriente Lucifero benedictus est. Inde propter visionem Dei Israel appellatus est, sicut & ipse ait: Vidi Dominum & salva facta est anima mea.*

(dd) Quæ ad fidem spectant, ita sunt comparata, ut ratione investigari non possint. *Fides* enim *est eorum, quæ non videntur*, Heb. 11, 1. id est evidenter non cognoscuntur, neq; per sensum, neq; per rationem, aut intellectum. Ex quo & aliqui apud Clementem Alexandrinum lib. 2. Stromatum fidem definiunt τὴν ἀφανοῦς πράγματος ἑνωτικὴν συγκατάθεσιν, *rei non evidentis unientem assensionem.* Et Athanasius lib. de salutari Christi adventu: *Fides*, inquit, *de evidenti concepta fides non est.* Augustinus insuper Epist. 112. ad Paulinum. *Credere dicimur, quod in corpore mentisq; aspectu nec adest, nec adfuisse recolitur, sicut sine parentibus creatum esse Adam, & natum ex virgine, passumq; resurrexisse Christum.* Unde stultitia est in rebus fidei, quæ rationem pariter ac sensum superant, rationem adhibere ceu magistram, aut ejus decempeda ea, quæ ad fidem pertinent, metiri. Mensura enim rei alicujus esse non potest quidpiam, nisi ei sit συγγενὴς seu *generis cum illa unius ejusdemq;* 10. Met. 1. Quod intellexit & Pythagoras, qui hinc auditores suos adhortabatur semper, *ut nulla in re quæ de Diis admiranda esset, neq; divinis dogmatibus ulli fidem denegarent*, etiamsi scilicet comprehendere non possent, *tanquam Dii omnia possint eaq; in sua habeant potestate & divina dogmata traderes quibus fides esset adhibenda*, teste Jamblichio lib. de vita Pythagoræ c. 28. Qui & alibi, videlicet in Prophetico c. 21. in symbolis *Pythagoræ* memorat fuisse illud: περὶ θεῶν μηδὲν θαυμαστὸν ἀπίστει, μηδὲ περὶ θείων δογμάτων. *De diis & divinis oraculis nulli eorum, quæ sunt admirabilia, fidem derogato* Sed & Plato in Timæo: *Absurdum*, inquit, est *Deorum filiis*, id est divino Numine actis, *non credere, etiamsi absq; verisimilibus & necessariis demonstrationibus dicant.* Simplicius quoq; hinc, ut taceamus alios, laudatos à nobis lib. 2. de variis scient. generibus & modis eò perveniendi c. 12. n. 12. & 13, in lib. 3. de Animâ. text. 155. *fidem necessariam* quidem esse scribit, sed tamen *sine causa.* Et Comm. in Enchiridion Epicteti c. 39. *Videntur*, inquit, *ea, quæ ratione percipi ac demonstrari possunt, ex demonstra-*

ratione cognoscenda esse. Sic enim scientifica parabitur cognitio, si per causam demonstratio fuerit facta. Audisse autem ex Deo immortalem esse animam, fidem quidem parit firmam, πίστιν βεβαίαν, *ut par est, non tamen rei scientiam.* Atq; hinc meritò, ut Patrum quoq; saltem paucorum testimoniis hanc rem illustremus, lib. 2. adversus hæres. c. 47. *Habentes,* ait, *regulam ipsam veritatem, & in apertum positum de Deo testimonium, non debemus per quæstionum declinantes in alias atq; alias absolutiones ejicere, firmam & veram de Deo scientiam: magis autem absolutionem quæstionum in hunc characterem dirigentes, exerceri quidem convenit per inquisitionem mysterii & dispositionis existentis Dei: augeri autem in charitate ejus, qui tanta propter nos facit & fecit, nunquam autem excidere ab eâ suasione, quæ manifestissimè prædicatur.* Respicit ad discrimen illud inter κήρυγμα seu πίστιν, & peritiam Theologicam, quâ ea, quæ in parabolis dicta sunt, accuratius pertractantur & fidei argumento accommodantur, de quo dixerat lib. 1. c. 2. & 3. atque in iis quidem, quæ ad hanc spectant, nos industriam aliquam locare posse ait, sed ita, ut iis, quæ manifeste prædicantur, sive omnibus, ceu creditis ad salutem necessaria, proponuntur, ante omnia assensum in simplicitate fidei præbeamus. *Melius* enim, ut idem lib. 2. c. 45. scribit, *est, nihil omninò scientem quempiam, ne quidem unam causam cujuslibet eorum, quæ facta sunt, cur factum, credere Deo, & perseverare in ejus dilectione, quæ hominem vivificat: nec aliud inquirere ad scientiam, nisi Jesum Christum Filium Dei, qui pro nobis crucifixus est, quam per quæstionum subtilitates & multiloquium in impietatem cadere.* His consona sunt, quæ apud Clementem Alexandrinum lib. 5. Stromatum leguntur: *Quis adeo impetus & à Deo alienus est, ut Deo non credat, & probationes à Deo postulet, tanquam hominibus?* Tertullianus quoq; in eandem sententiam lib. de præscript. adversus hæret. c. 7. *Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat, Dominum in simplicitate cordis esse quærendum.* Et c. 8. *Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, nihil desideremus ultrà credere.* Rursus lib. de coronâ militis c. 2. *Laudo fidem, quæ ante credit, observandum esse, quàm credidit.* Et lib. de Baptismo c. 2. *Fidei mysteria eò magis credenda, quò magis miranda & minus intelliguntur. Qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem? Nos miramur, quia credimus: incredulitas miratur non credit.* Origenes hom. 5. in Levit. *Etsi conceditur nobis aliquid ex divinis Scripturis apprehendere & cognoscere, sunt tamen aliqua, quæ Deo reservanda sunt: quæ cum intelligentiam nostram superent, sensusq; eorum supra nos sit, ne forte aliter à nobis, quam se habet veritas, proferantur, melius igni ista servemus.* Zeno Veronensis Serm. de fide: *Negat quodammodo Deum, quisquis rationibus humanis Deum metiri conatur.* Cyprianus lib. de Mortalitate ait, *nos propterea amare terrena, nec ad cœlestia festinare, quod desit fides. Nemo enim,* pergit, *credit futura esse, quæ promittit Deus, qui verax est, cujus sermo credentibus æternus & firmus est.* Statimq; subdit. *Si tibi vir gravis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utiq; pollicenti fidem, nec te falli ac decipi crederes, quem stare in sermonibus & actibus suis scires: nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredulâ perfidus fluctuas?* Arnobius lib. 2. adversus gentes: *Si nos istud nescire dicamus, ac tantummodo auditum ex potentiore credidisse, ubi nostra videbitur credulitas lapsa, si omnipotenti credimus regi nihil esse difficile, nihil arduum? si quod impossibile nobis est factu, illi possibile, atq; admodum executioni paratum. Est enim quod*

obsta-

obſtare ejus voluntatibus poſſit, aut quod eſſe voluerit, non neceſſario ſequatur, ut fiat: Deniq; & Lactantius lib. 2. Inſtit. c. 6. *Si credis, cur ergò rationem requiris, quæ poteſt efficere, ne credas? ſi verò rationem quæris & quærendum putas, ergò non credis. Ideò enim quævis, ut eam ſequaris, cum inveneris.* Plura teſtimonia ex ſequioribus Seculis collegimus alibi videlicet lib. de diſcr. inter fidem & γνῶσιν n. XIIX. XIX. & XX.

(ee) Fundamentum pacis Eccleſiaſticæ fides eſt, nempe una illa Eph. 4. 6. in quam Chriſtiani omnes baptizantur, accepta in ſenſu catholico. Hanc ſi quis ratam ſe habere profiteatur atque de cætero ita vivat, ut Chriſtianum decet, nempe *ſobriè, juſtè,* & *piè*, Tit. 2, 12. neque ulli, qui ſimiliter credit ac vivit, charitatem fraternam deneget, neq; ex defectu ejus ſciſſionibus, quantum in ipſo eſt, anſam præbeat; eum viciſſim fraterno amore, ut Chriſtianum, complecti tenemur, etiamſi fortè in reliquis, quæ non ad fidem, ſed peritiam ſive ſcientiam Theologicam pertinent, nobiſcum non per omnia ſentiat, ſed alicubi impingat, ſive in rei veritate, ſive noſtra opinione. Quis enim tantos in Theologiâ, ſcientia omnium difficillimâ, fecit progreſſus, ut ſe ad faſtigium perfectionis in eâ perveniſſe, jam in hoc ſeculo queat gloriari? *In multis* potius hîc *labimur omnes* Jabob. 3, 2. Et ex *parte ſolum hic cognoſcimus, ex parte prophetamus*, 1. Cor. 13, 9. Unde Apoſtolus & eos, qui imperfecti adhuc ſunt in ſcientia iſtâ, hortatur, ut in pace & concordia uberiora incrementa capere laborent. Sed & ab iis, qui perfectos ſe eſſe putant, requirit, ut alios ju ta eandem regulam cum ipſis incedentes temerè non damnent. *Quotquot* ait Phil. 3, 15. 16. *perfecti ſumus, hoc ſentiamus*, id eſt ita ſimus affecti animo, ut *non tàm*, ſicut paulò ante dixerat v. 14. *quantum viæ jam confecerimus, quàm quid ad metam nobis adhuc ſuperſit, aſſiduis cogitationibus volvamus*, *Quod ſi aliter ſentitis*, ſi diſcrepantes quaſdam adhuc opiniones de aliis nonnullis habetis, *hoc quoq;*, quid ſentire te talibus debeatis, *vobis aperiet Deus, dummodo in eo, ad quod usq; pervenimus, eâdem regulâ incedamus & idem ſapiamus*, hoc eſt, fidem, quam ſuſcepimus, & in quam baptizati ſumus, inconcuſſam ſervemus, ac paci & concordiæ mutuæ ſtudeamus. *Humanum eſt*, ait Auguſtinus, hæc verba expendens lib. 2, de baptiſmo c. 5. *aliquid aliter, quam ſe res habet, ſapere. Propterea dicit Apoſtolus: Quotquot ergò perfecti, hoc ſapiamus, & ſi quid aliter ſapitis, hoc quoq; Deus vobis revelabit. Quibus autem revelat, cum voluerit, ſive in hac vita, ſive poſt hanc vitam niſi ambulantibus in via pacis, & in nullam præciſionem deviantibus.* Et Theodoretus in Comm. ad iſtum Apoſtoli locum: *Ait, cum eis de concordia? Regulam autem appellavit* τὸ ἐυαγγελικὸν κήρυγμα, *Evangelicam prædicationem*, id eſt fidem, quæ omnibus proponitur, utpote neceſſaria ad obtinendã ſalutem. Aliud enim κήρυγμα, aliud dogma eſt, ut ait Baſilius lib. de Spiritu ſancto c. 27. quod *dogmata ſileantur*, id eſt in vulgus capere iſta neſcium non divulgentur; κηρύγματα autem *publicentur*: Quibus conſona habet etiam Eulogius Patriarcha Alexandrinus Orat. 2. apud Photium Bibl. cod. 230. dicens: *Eorum quæ in Eccleſia à verbi miniſtris traduntur, ſunt quædam dogmata, quædam* κηρύγματα ſive *præconia: quorum illa cũ occultatione & ſapiẽtia declarãtur, & obſcuritati ſæpe de induſtria involvũtur, ne profanis ſint ſancta expoſita, & margaritæ porcis objiciantur: hæc autem ſine ulla obſcuritate dicuntur & ea præſertim, quæ de præceptorum & divinæ reverentiæ obſervatione tractant. Quin ſunt aliqua inſuper dogmata obſcuriora, quæ omninò ut ita dixerim, tacentur, ſolis verò illis myſticè traduntur, qui fideles habent ſpiritualem ſapientiam per verbum vivum.*

Atq; hinc Oecumenius, in Comm. ad Philipp. tertium canonem, de quo ibi loquitur Apostolus, apertè fidem interpretatur: *κανόνα*, ait, *τὴν πίστιν φησὶν*, canonem seu *regulam* Apostolus *dicit fidem.* *Quemadmodum enim in regula sive abstuleris quidpiam, sive addideris, totum perdidisti, ita & in fide.* Non aliter & Theophylactus: *Hactenus*, inquit, *quod perfecimus, retineamus, nimirum concordiam & pacem, eadem incedentes regula, hoc est, eadem fide, eodem termino.* Anshelmus quoque in Comment. *Hoc sentire debetis, quod imperfecti sumus comparatione futuræ perfectionis, & illuc tendimus. Et si quid aliter sapitis ut parvuli, id est, si jam putatis vos aliquid egisse, esse, vel scire, & hoc vobis revelabit Deus, quod non rectè id sapitis. Qui enim in pace Catholica permanet, si quid aliter sapit, quàm oportet, humili Deus revelabit: si illud superbus defendit, Deus abjiciet. Vel si quid nunc aliter sapitis, quam in futuro sapiendum sit, quia modo per speculum videtis, etiam hoc revelabit Deus, quia clarè faciet vos cognoscere, & se & omnia alia, quæ modò obscurè videtis. - Veruntamen - teneamus omnes illud, ad quod pervenimus, ut idem sapiamus credendo, & permaneamus in eadem regula disciplinæ, id est, rectitudine vivendi scilicet ut nemo propter novam inventionem vel intelligentiam suum deserat communem sensum fidei seu regulam justè vivendi constitutam à Patribus.* Ex hoc capite Clemens Romanus reprehendebat Corinthios, quod cum unam fidem sartam tectamq; servarent, contentiones tamen, schismata & simultates inter se foverent, super nonnullis rebus ad salutem haud necessariis: *Contentiosi*, ait, *estis, fratres, earum rerum, quæ ad salutem minimè pertinent, μὴ ἀνηκόντων εἰς σωτηρίαν, accensi Zelo?* Quod nullo pacto, vult dicere, probandum est. *Annon enim*, ut postea scribit, *unum Deum & unum Christum habemus? nonne unus est Spiritus gratiæ, qui super nos effusus est, & una vocatio in Christo?* Observatione quoque digna sunt verba Hilarii Pictaviensis ad Constantium Imperatorem: *Periculosum nobis atq; etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas esse, quot mores, dum aut ita fides scribuntur, ut volumus, aut ita, ut volumus, intelliguntur. Et cum secundum unum Deum, Et unum Dominum, & unum baptisma fides una sit, excidimus ab ea, quæ sola est: & dum plures fiunt, cœperunt esse, ne ulla sit. Dum enim in verbis pugna est, dum de novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de autoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse cœpit, propè jam nemo Christi est. Tutissimum nobis est, primam & solam Evangelicam fidem cõfessam in baptismate, intellectamq; retinere nec demutare, quod solum acceptum atq; auditum habeo benè credere, non quod ea, quæ Synodo Patrum nostrorum continentur, tanquam irreligiosè & impiè scripta damnata sint, sed quia per temeritatem humanam usurpatur ad contradictionem. quod ob hoc sub nomine novitatis Evangelium negaretur impericulosè, tanquam sub emendatione innovetur.* Eodem spectat, quod habet Basilius Magnus Epist. 52. ad Athanasium, ubi ad concordiam in Ecclesia servandam expressè requirit *tolerantiam*, & quidem ejusmodi, quâ *Ecclesiarum præsides diligenter caveant, ne inferant in Ecclesias dissensiones, sed potius idem sentientes* (subintellige circa fundamentum, *quovis modo ad unionem compellant, etiamsi quosdam invenerint, qui peculiaria quædam dissidii inter se argumenta præferant, ne populum orthodoxum à præpositis suis separent, inq; multas dividant partes. Curandum, enim est*, pergit, *ut paci posthabeantur omnia.* Porrò & Gregorius Nazianzenus ex eodem capite invehitur in eos, qui cum in fundamento fidei consentirent, nihilominus pacis vinculum ob dissensionem in quæstionibus annatis seu juxta emergentibus disrumperent. Sic enim ille Orat. 14. quæ

quæ est tertia de pace: Quid igitur tandem causæ est, cur qui charitatem colimus, mutuis odiis flagremus? qui pacem, implacabile bellum geramus? qui angularem lapidem, dirimamus ac distrahamus? qui petram, concutiamus? qui lucem, caligemus? qui verbum, tanto simus silentio, aut stoliditate aut stupore atq; vecordia, aut quo verbo utar, nescio, pleni ut cum cibi & somni, & cantus, rerumq; obscœnissimarum, ut ajunt, satietas sit, omniumq; non modò molestiarum, sed & jucundissimarum rerum saturitas & fastidium tandem obtineatur, cunctaq; inter se vicissim immeent & convertantur, nobis tamen nec finis, nec modus sit ullus partim inferendorum, partim accipiendorum vulnerum, non iis duntaxat, qui diversa sentiunt atq; in fidei doctrinâ dissident (minus enim acerbum id esset, ac Zelus res laudabilis, modò inter fines suos consistat, illud excusaret) verum iis quoq; qui eandem fidem profitentur atq; adversus eosdem & proiisdem conflictantur-- Quid hæc ô viri, & quamdiu? Non tandem aliquando resipiscemus? Non expergiscemus? Nō erubescemus nam si nihil aliud, hostium certè linguis, quæ falsa etiā crimina facilè affingunt, incurremus? Non immodico huic cōtentionis studio finem ponemus? non cognoscemus, quænam quæstiones à nobis percipi & quatenus possint, quæ nam vim nostram & facultatem superent? Quænam hujus temporis sint, ac terrenæ confusionis menti nostræ tenebras offundentes, quænam rursus futuri seculi & cœlestis libertatis, ut aliis modo contenti simus, aliis purgemur ac præparemur, velut postea initiandi ac desiderii compotes futuri? non apud nos ipsos distinguemus, quænam ne quærenda quidem omninò sint, quænam mediocriter, quænam contentiosis hominibus concedenda & relinquenda, quoq; tandem modo se habeant, utpote nullum doctrinæ nostræ detrimentum afferentia? quænam fidei soli donanda, quænam etiam ratiocinationibus τοῖς λογισμοῖς, pro quibus deniq; acri animo pugnandum sit, rationibus tamen, non ferro atq; armis.- Exiguum quoddam concedamus, ut, quod majus est, recipiamus, nimirum concordiam. Cedamus, ut superemus. Augustinus lib. 2. de baptismo c. 4. Hoc facit sanitas pacis, ut cum diutius aliqua obscuriora quæruntur & propter inveniendi difficultatem diversas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in parte præcisa remanent insanabile vulnus erroris. Et c. 6. ita alloquitur Donatistas, qui se ob causas exigui momenti sequestrarēt à cōmunione Ecclesiæ Catholicæ: Vos Donatistæ, quid ad hæc dicitis? Si nostra sententia de baptismo vera est, omnes, qui aliter sentiebant Cypriani tēporibus, nō sunt ab Ecclesiæ unitate separati, donec illud, quod aliter saperent, Deus illis revelaret. Vos ergò quare separatione sacrilegâ pacis vinculum dirupistis? Quodlibet horum elegeretis, contra vestram præcisionem sententiam ferre cogimini.- Respondete, quare vos separastis? Ecce in unitate video Cyprianum & alios collegas ejus, qui facto Concilio censuerunt, omnes, qui extra Ecclesiæ communionem fuerint baptizati, baptismum non habere, & ideò eis dandum esse, cum veniunt. Sed ecce rursus in eâdem unitate video, quosdam de hâc re diversa sentire, & eos, qui ab hæreticis vel schismaticis venerint, agnito in eis baptismo Christi, non audere iterum baptizare. Hos omnes catholica unitas materno sinu complectitur invicem onera sua portantes & studentes servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, donec alteris eorum, si quid aliter saperent, Dominus revelaret. Deniq; cum inter monachos Adrumetinos controversia exorta esset super prædestinationis arcano, commonefaciebat eos sui officii his verbis lib. de grat. & lib. arbit. c. 1. Nunciatum est mihi de vobis, fratres, ab aliquibus, qui in vestrâ communione sunt, & ad nos inde venerunt, quod de hâc re dissensiones in vobis sint. Itaq; dilectissimi, ne vos perturbet hujus quæstionis obscuritas, moneo vos primùm, ut de his, quæ intelligitis, agatis Deo gratias. Quicquid est autem, quo pervenire nondum potest vestræ mentis intentio, pacem inter vos & charitatem

 ser-

ſervantes, à Domino, ut intelligatis, orate, & donec res ipſa perducat ad ea, quæ nondum intelligitis, ibi ambulate, quò venire poſuiſtis. Hoc admonet Apoſtolus Paulus, qui cum dixiſſet, nondum ſe eſſe perfectum, paulò poſt ait: Quotquot ergò perfecti, hoc ſapiamus, id eſt, ita nos eſſe perfectos, ut nondum ad perfectionem, quæ nobis ſufficit, venerimus: continuoq; ſubjunxit, Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoq; vobis Deus revelabit: verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus. Ambulando quippe in quod pervenimus; & quo nondum pervenimus, pervenire poterimus. Deo nobis revelante, ſi quid aliter ſapimus, ſi ea, quæ jam revelavit, non relinquamus. Qui id non faciunt, ſed temerè alios eamdem fidem cum ipſis amplectentes atq; etiam de cætero munus boni Chriſtiani explentes ob diſſenſionem ſuper controverſiis non ad ipſum fundamentum religionis Chriſtianæ, ſed ad peritiam potius Theologiam ſpectantibus, damnant, atq; vinculum pacis, altare contra altare erigentes, rumpunt, à ſchiſmate ſe liberare non poſſunt. Ii enim ſunt *ſchiſmatici*, qui *non habentes Dei delectionem, ſuamq; utilitatem potius conſiderantes, quàm unitatem Eccleſiæ, propter modicas & quaslibet cauſas magnum & glorioſum corpus Chriſti conſcindunt, & quantum in ipſis eſt, interficiunt, pacem loquentes, & bellum operantes, verè liquantes culicem & camelum transglutientes. Nulla enim ab eis tanta fieri poteſt correptio, quanta eſt ſchiſmatis pernicies,* ut judicat Irenæus lib. 4. adverſus hæreſes c. 62.

Et quidem rectè. Cum enim idololatriam aliaque enormia crimina peſte, gladio, captivitate peregrinâ, aliisque ſimilibus pœnis in populo ſuo mulctare ſolitus fuiſſet Deus, ſchiſmatis contra adverſus Moſen & Aaronem excitati reos partim, hiatu terræ, viventes, corpore & animo, ad tartarum præcipitavit, partim cœleſtibus ignibus abſumpſit, ut ex gravitate ſupplicii gravitas concluderetur delicti Num. 16, 32. Quâ de re legi poſſunt Clemens Romanus aut quicunq; Auctor eſt Conſtit. Apoſtolic. lib. 6. c. 1. Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum, Auguſtinus epiſt. 162. & lib. 2. de baptiſmo c. 6. Unde & Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 6 Hiſt. Eccl. c. 45. omnia potius incommoda ſubeunda eſſe dicit, quàm ut Eccleſiæ ſcindatur unitas. *Satius*, inquit, ſcribens ad Novatum auctorem ſchiſmatis alicujus tunc excitati, *fuerat quidvis pati, ne eccleſia Dei diſcinderetur. Nec minus glorioſum fuiſſet ideò ſubire martyrium, ne Eccleſiam ſcinderes, quàm ut ne idolis ſacrificares. Imò illud meo quidem judicio illuſtrius fuiſſet. Hic enim pro ſua unius animâ: illic pro omni Eccleſiâ martyrium quis ſuſtinet.* Auguſtinus quoq; lib. 1. contra literas Petiliani c. 4. *ſchiſma* ait *ſcelus eſſe, quod omnia ſcelera ſupergrediatur.* Sic tamen declinandum ſchiſma & concordia cum fratribus errantibus ſervanda eſt, ut quis ſe errorum ipſorum, etiamſi illi directè non quatiant fundamentum religionis Chriſtianæ, participem non reddat, ſi errores eos eſſe habeat perſpectum. Sic enim pax colenda eſt, ut veritas non violetur, juxta illud *Diligite veritatem & pacem* Zach. 8, 19. Et Deus *væ* interminatur iis, *qui tenebras lucem & lucem tenebras*, i.e. falſum verum & verum falſum ſcientes volentes *dicunt* Eſa. 5, 20. Longè alia namq; eſt ratio corũ, qui errorẽ aliquẽ defendunt ex ignorantia, quod rem aliter cõprehendere aut aſſequi non poſſunt vel ob imbecillitatẽ judicii, vel deſtituti opportunitate rectiora diſcendi, vel irretiti ſpecioſis nonnullis rationibus, quas ſolvere haud poſſunt, vel etiam diuturna ita ſentiendi conſuetudine & auctoritate ſive parentum, ſive præceptorum ſuorum innodati, qui nexus plerumq; tam arctè ſtringuntur, ut non-


non sit facile ex iis se extricare: alia autem eorum, qui rem melius intelligunt, veritatem tamen fateri nolunt, aut si eam ad tempus propugnant, postea tamen eam rursum oppugnant, illecti cupiditate lucri, aut honoris, aut alio quodam carnali affectu. Illi enim *inviti* errant, indeque, si ignorantia invincibilis sit, *excusationem merentur* 3. Ethic. c. 7. & 2. Eucl. 9. hi autem scientes errant, quod excusari nullo pacto potest. Quo spectat & ista Cypriani ex Epist. 63. *Si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non hoc observavit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentiâ Domini venia concedi: nobis vero non poterit ignosci, qui nunc à Domino admoniti & instructi sumus.* Quibus respondent & ista Optati Milevitani lib. 2. adversus Parmenianum: *Scientem errare peccatum est: ignorantibus autem solet nonnunquam ignosci.* nempe si ignorantia sit invincibilis. Nam & sine dubio aliter judicandum est de iis, qui per stupiditatem intellectus in errorem aliquem abripiuntur aut etiam ex defectu præceptorum aliorumque mediorum, quorum comparandorum potestatem non habent: aliter autem de iis, qui per negligentiam, aut etiam pravos affectus, quos seponere eos par erat, ignorant, quæ scire poterant, & officii ratione scire, quin & ut alii scirent, curare debebant. Cum enim illi excusationem mereantur, hi culpâ non vacant. Unde & *legulatores ob ignorantiam puniunt, qui sibi ipsis ignorantiæ causa extiterunt in iis, quæ & scire debebant & difficilia non sunt*, ut Philosophus ipse scribit 3. Ethic. c.7. Quod ipsum repetit & 2. Eucl.9. his verbis. *Similiter & is vituperatur, qui vel facilium, vel necessariorum peritiam per negligentiam aut dolorem aliquem voluptatemq; non vestigat.* Cæterum cum Deus optimè novit, quinam ex proæresi aliquid affirmant aut negent, quique non ex proæresi, & rursus qui ex ignorantiâ vincibili, quique ex invincibili, ipse quoque hac de re quàm optimè judicare novit: nobis autem cavendum est, ne temerè quenquam condemnemus, aut malitiæ alicujus incusemus, qui ejus reus non est, aut etiam ignorantiâ vincibili duci asseram9, qui revera ex inevitabili & haud eluctabili ignorantiâ alicubi impingit. Id enim sibi volunt admonitiones illæ: *Nolite judicare, & non judicamini.* Luc. 6, 37. Et Rom. 14, 4. *Tu quis es, qui judicas alienum famulum? proprio Domino stat, aut cadit imò fulcietur* fortè, *ut stet, potens enim est Deus efficere, ut stet.* Rursus 1. Cor. 4, 5. *Ne ante tempus judicetis, donec venerit Dominus, qui & illuminabit occulta tenebrarum, & patefaciet consilia cordium; ac tunc laus erit unicuiq; à Deo.* Minimè autem omnium integræ Ecclesiæ ob ejusmodi, quales diximus, errores à communione fraternâ, quæ Christianis mutuo intercedit, sunt separandæ, quod pro certo affirmare non valeamus, omnes, qui in ejusmodi cœtib9 vivunt, errores istos amplecti, nedum ex malitia eis favere aut saltem ex ignorantia, quæ valeat superari. Quem enim latet, quod etiam sub maximè corrupto ministerio Deus nonnunquam semen aliquod habeat sanctum? Sanè si quis ob cultum Baaliticum denegandam esse statuisset communionem toti Ecclesiæ Israeliticæ, summâ injuriâ affecisset septem illa hominum millia, quorum genua nunquam curvata erant coram Baal 1.Reg.19,18. Ex quo & jura prohibent totum aliquod collegium aut universitatem excommunicari, quod contingere possit, ut hâc ratione etiam innoxii excommunicationis sententiâ irretiantur, qua de re videnda est constitutio Sixti in Decretalibus de sentent. excommun. c.5. Atque hinc etiam optimè Præfatio Formulæ concordiæ præfixa rationem condemnationum & reprobationum erroneis dogmatibus, maximè

circa articulum de cœna in ipsa formula annexarum exponens: *Nequaquam consilium & institutum nostrum est, eos homines, qui ex quadam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemi in veritatem doctrinæ cœlestis sunt, multò verò minus totas Ecclesias, quæ vel sub* Romano Imperio *nationis Germanicæ vel alibi sunt, damnare. Quin potius mens atque animus noster fuerit, hac ratione fanaticas opiniones, & earundem pervicaces doctores & blasphemos duntaxat palàm reprehendere & damnare, quod illi errores expresso verbo Dei repugnent, & quidem ita, ut cum eo conciliari nequeant. Deinde etiam ob causam hoc suscepimus, ut pii omnes de his diligenter vitandis monerentur. Nequaquam enim dubitamus, multos pios & minimè malos homines, in iis etiam Ecclesiis, quæ hactenus non per omnia nobiscum senserunt reperiri, qui simplicitatem quandam suam sequantur, & negotium quidem ipsum non probè intelligant, sed blasphemias, quæ contra sacram cœnam, quemadmodum ea in Ecclesiis nostris secundum institutionem Christi dispensatur, & juxta verba Testamenti ipsius magna bonorum omnium consensione docetur, evomuntur, nullo modo probant.* Sed & hâc de re alibi fusius est actum. Nos hîc claudimus verbis Augustini ex serm. 186. de tempore c.4. *Videte quid caveatis, videte, quid observetis, videte quid timeatis. Contingit, ut in corpore humano, imò de corpore aliquod præcidatur membrum, manus, digitus, pes, nunquid præcisum sequitur anima? Cum in corpore esset, vivebat; præcisum amittit vitam. Sic & homo Christianus catholicus est, dum in corpore vivit; præcisus hæreticus factus est*: (nam & *schisma inveteratum* tandem *in hæresin transit*, ut idem doctor monet epist. 164. cum *nullum schisma* sit, *quod non hæresin aliquam sibi confingat, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur*, observante etiam Hieronymo, cujus verba laudantur in Corp. Can. causâ 24. quæst. 3. can. Inter) *membrum amputatum non sequitur spiritus. Si ergò vultis vivere de spiritu sancto, tenete charitatem, amate veritatem, desiderate unitatem, ut perveniatis ad æternitatem.*

Amen.

F I N I S.





[illegible] 4 [illegible]

[illegible] 4. 2. 3. [illegible] — 14½

[illegible] 3

[illegible] 2

[illegible]

[illegible] 6

[illegible] 6

[illegible] 2½. 1½. 2½. 1½. 3. 3½ — 11½

[illegible] 2½. 2. 4. — 10½

[illegible] 1. 3½. 1. 4½. 4½ — 12½

[illegible] 2. 2. 3½. 1½. 3½. 3. — 15½

[illegible] 4½. 3½. 3½. 4. 1. 3. 24

[illegible] 3½. 2½. 1½. 2. 2. 2½ — 16

[illegible] 3. 4. 3½. 3. 3½. 3½ 24

[illegible] 2. 1. 3. 1½ [illegible]

[illegible] 1. 2½. 1. 1½ [illegible]

[illegible]